

# Program m.

w o m i t



zu der auf Dienstag den 2. April 1844 angesetzten

öffentlichen Prüfung der Zöglinge


d e s

## städtischen Gymnasiums

zu Danzig

ergebenst einladet


*Dr. Friedr. Wilh. Engelhardt.*  
Director.



### Inhalt.

- 1) Lectiones Abulpharagianae vom Oberlehrer Roeper.
- 2) Schulnachrichten vom Director.

*Handwritten notes:*  
F. S. Wennich  
" " Paul  
" " Kötter  
Luchs



**Danzig.**

Druck der **Gerhardschen** Officin.

1844.

1870

...

...

...

Handwritten notes in cursive script, including the word "Frank" and other illegible characters.

...

...

# ***Lectiones Abulpharagianae.***

---

Ad

**Graecarum litterarum historiae**

locos nonnullos illustrandos

conscripsit

***Theophilus Roeper.***

---

Fasciculus I.

---

---

**Gedani.**

Typis **Fr. Sam. Gerhard.**

**MDCCLXXXIV.**

Lectioes Abulpharagianae.

14

Tractatum litterarum historicarum

locis novis illustratum

scriptum

Theophilus Koberger

Primum I.

Godard  
1498 in Bas. excudit.  
MDCCLXXII.

Viro Clarissimo

A u g u s t o M e i n e k e

pro

*multis magnisque beneficiis*

gratias agit

*Theophilus Roper,  
Leontinensis.*

Viro Clarissimo

Augusto Meincke

pro

multis magnisque beneficiis

gratias agit

Thophilus Hooper,  
Londinensis.

## I. De commemoratis ab Abulpharagio Gregorio Barhebraeo chronographo scriptorum Graecorum temporibus.

Gregorius ille, qui Barhebraeus et Abulpharagius vocatur, scriptorum Orientalium non in ultimis ponendus ac ne iis quidem incognitus, qui aliarum litterarum studiis tenentur, Malatiae sive Melitenae, celeberrimo Armeniae minoris oppido, anno p. Ch. 1226 natus parentibus Christianis, quum Tatarorum irruptione patria profugus sub patre Aharone medico aliisque magistris Antiochiae et Tripoli medicinae, rhetoricae, philosophiae ac theologiae operam dedisset, tribusque ab anno 1246 ad 1264 functus esset episcopatus Gubae, Lacabena, Halebi, quae Graecorum Beroea fuit, factus Maphrianus Orientis, qui magistratus ecclesiasticus apud Syros Iacobitas monophysiticam haeresin sequentes uni cedit patriarchae Antiocheno dignitate magis quam potentia, Maragae in provincia Adorbigana, i. e. Atropatene, diem supremum obiit anno 1286.<sup>1)</sup> Permulta hic conscripsit sermone pleraque Syriaco, nonnulla Arabico, et versibus et prosa oratione, de theologia, philosophia, grammatica, mathematica,<sup>2)</sup> medicina, alia, quorum nonnulla sunt edita,<sup>3)</sup> plurima in bibliothecis latent, nisi quae plane interciderunt, omnium vero luculentissimum

<sup>1)</sup> Plura de eius vita scire cupientibus consuluit Iosephus Simonius Assemanus, Biblioth. orient. II, p. 244 sqq.; quibus adde Sylv. de Sacy ad Abdallatiph. p. 505. Breviter exposuit Ferd. Wüstenfeld in Geschichte der Arabischen Aerzte und Naturforscher n. 240 p. 145 sq.

<sup>2)</sup> In quibus expositiones Euclidis et Almagesti, vid. Assem. p. 253; quae fugerunt Wenrichium in libro de Graecorum auctorum versionibus §. 122 et 162, ut sunt omissae in catalogis Assemanianis p. 268 sq.

<sup>3)</sup> Praeter chronica, quae mox dicemus, et ea, quae Wuestenfeldius commemoravit p. 146, edita sunt, quod quidem ego sciam, scholia in psalm. V et XVIII a G. H. Rhode Vratislaviae a. 1832, scholia in carmen Deborahae in I. M. Winkleri specimine quaestionis de syriaca eius carminis versione ibid. a. 1839, carminum fasciculi IV per Caes. a Lengerke Regimontii a. 1836 sqq., grammatica Syriaca (minor) in metro Ephraemeo ab Ern. Bertheau Gottingae a. 1843.

Chronicon Syriacum tripartitum, cuius notitiam copiosissima posteriorum maxime duarum partium epitome aperuit I. S. Assemanus in Bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana, vol. II, pag. 311—462, Romae a. 1721. Quae duae partes quum ecclesiasticos Syrorum exhiberent annales, primam, qua patrum ac regum res gestae narrantur, totam Syriace et Latine ediderunt Lipsiae a. 1789 Paul. Jac. Brunsius et Georg. Guil. Kirschius.<sup>4)</sup> Relatae eo in libro sunt res undecim dynastiarum, quas vocant, trium Veteris Testamenti, Patriarcharum, Iudicum, Regum, deinde Chaldaeorum, Medorum, Persarum, tum Graecorum Macedonum, Romanorum, Graecorum Byzantinorum a Tiberio ad Heraclium, denique Arabum, postremo Mogolorum: caeque ad annum 1296 nescio quo continuante productae et ita explicatae, ut novissimae duae dynastiae plus quinque libri partes efficiant, novem priores vix sextam. Sed illo anno, quo mortuus est, quum Maragam, uti diximus, sese contulisset, „Arabes quidam viri praestantes“, verbis utar Barsumae fratris apud Assemanum p. 264 relatis, „ab eo flagitarunt, ut chronicon, quod Syriace composuerat, in Saracenicam linguam converteret, ut ipsi eam legerent, et ex ea voluptatem caperent; quibus annuit, coepitque eam historiam vertere stylo eleganti et elaboratissimo per mensem circiter, donec prope ad finem opus perductum est; remanseruntque tria fortasse folia.“ Haec est illa Historia compendiosa dynastiarum, qua Eduardus Pocockius Oxoniae a. 1663 post specimen a. 1650 editum<sup>5)</sup> Arabice et Latine divulgata effecit, ut, cui immortalis est operi scriptor, eodem eius fama revixerit. In Germanicam linguam convertit Georg. Laur. Bauerus, Lipsiae a. 1783, 85. Eadem Arabici huius chronici ratio atque primae Syriaci partis (neque enim pertinet ad reliquas), nisi quod desinit in annum 1284, quod quintam sextamque dynastiam in unam conflatas habet, et modo amplificatum modo contractum est ita, ut ultimae duae dynastiae non integras tres libri partes efficiant, reliquae quartam paullo excedant.

Virum hunc apud suos et sua aetate fuisse e doctissimis quum facile intelligatur ex iis, quae diximus, tum praedicant nomina, quibus in Arabici operis inscriptione collaudatur, pro gentis more gloriosissima, doctorum rex, excellentium excellentissimus, temporum exemplar, saeculi phoenix, alia. Nec hominem, quem frater testatur ab anno aetatis vigesimo usque ad ultimum spiritum a lectione et scriptione nunquam cessasse (Assem. p. 267), mirabimur in historiis suis virorum eruditione atque doctrina insignium memoria distinguendis placuisse sibi non mediocriter. Neque vero de Arabicis Syriacisque tantum doctoribus multa tradidit et cognitu iucunda nec quibus fides habeatur indigna; sed Graecos quoque non paucos commemoravit philosophos, medicos, mathematicos, (huic enim Graecarum litterarum parti Orientis nationes praecipue, ne dicam unice, operam navabant,) unum aut alterum etiam poetam et oratorem, aliorum nomina tantum referens, aliorum vitas quoque et scripta. Iuvat profecto talia le-

<sup>4)</sup> Neque vero satis emendate, ut in reprehensionem incurrerent quum aliorum tum Bernsteinii in Greg. Barh. chronici Syraci e codd. mss. passim emendati et illustrati specimine I, Lipsiae a. 1822 edito. Arnoldii specimen chronici Syr. Abulpharagiani e scriptoribus Graecis emendati et illustrati, Marburgi a. 1805 scriptum, nondum me vidisse moleste fero; nec magis inspicere potui Mayeri Beyträge zu einer richtigen Uebersetzung der syrischen Chronik des Greg. Barh., Vindob. 1819 sqq., neque quae a Lorschbachio et aliis in variis libris et ephemeridibus disputata sunt.

<sup>5)</sup> Repetitum a Whitio Oxoniae a. 1806.



gentes intueri in populum praeclarae indolis ab inveterata barbaria ad optima sese studia erigentem et in penetralia usque sapientiae incredibili quadam docilitate nitentem atque adeo prosilientem; non sine admiratione videmus Platonem, Aristotelem, Hippocratem, Galenum, Euclidem, Ptolemaeum, tot alia antiquae Graeciae lumina, quasi impatientes degenerum popularium, iungere hospitium cum illis quondam, ut Ammianus ait (XIV, 4), seminudis et miluorum rapacium similibus Saracenis, eorumque beneficio Orientis pariter atque Occidentis evadere magistros; grati recordamur quosdam bonos Graecorum auctorum libros, velut Apollonii Pergaei conicorum quintum, sextum, septimum, eiusdem de sectione rationis duos, Menelai Alexandrini sphaericorum tres, Aristotelis vel potius Nicolai de plantis duos,<sup>6)</sup> ut alios omittam, quos *νοθείας* suspicio premit, Orientalium tantum interpretum studiis in manus nostras pervenisse. Attamen pessime consultum foret illarum litterarum studiosis, si de cognoscendis eorum auctoribus atque aetatibus ad Orientalium duntaxat testimonia esset confugiendum. Quorum interdum tam ridicula hario-latio est, ut Shakspearianum illum Hectorem de Aristotelis ethica narrentem audire tibi videaris. Plura sane proferri possunt ad eam rem excusandam, velut difficile fuisse ingentem rerum novarum atque inusitatarum copiam mente animoque comprehendere, ac necessario inde evenisse, ut multa aut plane exciderent aut perverse caperentur; accessisse ingruentem in ipsos Graecos, quibus illi magistris uterentur, ingravescentemque illis temporibus bonarum artium ruinam et antiquitatis oblivionem; denique, id quod plurimum momenti habet, nimium diversa fuisse gentium ingenia, mores, instituta, ac ne potuisse quidem de optimis humanitatis floribus rite existimari ab iis, qui in mutua dominandi serviendique intemperantia seu fato sive natura constituti in repetenda rerum memoria adeo non saperent ultra regum atque dynastiarum annales, ut Graecae historiae ab Alexandri, Romanae ab Augusti imperio exordium caperent,<sup>7)</sup> et ad omnia, quae in libertatis laetissimo sole provenissent, caecutientes non tentarent disciplinas, nisi quae umbram quoque ferrent, reliquas aut fastosa superstitione despicerent aut ita ignorarent, ut ne gradum quidem sine errore facerent. Sed haec quidem omnia persequi planeque explicare et longum est et a nostro instituto alienum, qui in unius Abulpharagii auctoritate examinanda consistere decrevimus.

<sup>6)</sup> Novitia esse quae hodie in Aristotelis operibus Graeca de plantis leguntur et de Latinis facta, ut Latina de Arabicis, quum pridem constaret, tum nuper affirmavit E. H. F. Meyerus, qui pro Aristotele Nicolaum substituit. Ego vero de Arabicis etiam Hebraica facta fuisse, antequam Latina fierent, inde conficio, quod Empedocles non poterat corrupte dici Abrucalis I, 1. 2. 6. 7, nisi confusis elementis daleth et resch in Hebraeorum litteratura simillimis. Sed eius modi, quam vocare liceat, reversionem in Simplicianis de coelo commentariis deprehendit Amadens Peyron. Aliam ego quoque indicabo. Prooemii enim, quo suorum in Hippocratis epidemiorum librum I commentariorum librum I Galenus exorsus est, initium, quantum capit pagina 344 Tomi V editionis Basileensis, adeo est soloecismis oppletum, ut a Galeno non esse scriptum, sed ex ea ipsa interpretatione Latina, quae una edi solet, ab homine grammaticae Graecae satis rudi recens translatum appareat.

<sup>7)</sup> „In Graecia nulla fuit sapientia, nisi ab eo tempore, quo illi potentiam acquisiverunt, tum enim translata est ad eos sapientia a Persis, ad Persas autem venit a Chaldaeis. Illo tempore exsurrexerunt inter illos philosophi illi celebres, non prius nec etiam postea: ab eo enim tempore, quo imperium translatum est ad Romanos, nullus celebris inter eos philosophus extitit in hunc usque diem.“ Liber Cosri I, 63, a R. Iuda Levita conscriptus saeculo XII. Adde II, 66.

Qui quum in scribendo pro gentis suae indole aequabilitatem quandam orationis suavemque ubertatem potius sequeretur quam iudicii acumen et doctrinae subtilitatem, homo, si non nesciens Graece, at certe earum litterarum studium non exaequans doctrina, Syriacis Arabicisque magistris et nescio an suis quoque nonnunquam coniecturis temere confusus, nec raro nec leviter in hoc argumento peccasse deprehenditur. Non iam exagitabo denuo illud de libris philosophorum Alexandriae ab Amruo Omari chaliphae iussu combustis, quod et satis refutatum a summis viris mihi videtur, et alia apud hunc scriptorem extant pervulgata ista narratiuncula aliquanto fabulosiora. Neque omnia, quaecunque ille de litteris scriptoribusque Graecis tradidit, in animo mihi est singillatim vel recensere vel refellere, quo ne opus quidem est in plerisque; sed allato uno alteroque exemplo, ex quibus, quam incredibilia venditet, luculenter appareat, de scriptorum actibus ab eo notatis breviter exponam. Quo facto eveniet fortasse, id quod apud Pocockium de se professus est Gerardus Langbaenius, ut miretur aliquis a vero eum non longius abiisse.

Utar autem in locis citandis utroque hominis cognomine ita, uti receptum est, Abulpharagii ad significandam historiam a Pocockio editam, Barhebraei ad chronicon a Brunzio et Kirschio vulgatum; paginas indicabo in Latinam linguam versorum, idemque tenebo, si qui aliorum scriptorum Orientalium loci afferendi erunt; nolo enim scire videri, quae si unquam non prorsus nescii, scire iam dudum me desuisse scio; Syriaca et Arabica si qui recognoscere malent, facile poterunt invenire. Omnino in limine commentationis profiteri liceat, quasi hospitem quandam alienigenam me ad haec Asiaticarum studia litterarum velut negotiandi causa devertisse, et quum interpretum fide res agatur, si quid fraudis intercurrat, id facile pati meae imputari inscitiae, sed cavisse tamen sedulo, ne plus mihi sumpsisse videar, quam salva illarum litterarum dignitate concedi etiam peregrinae conditioni possit. Sed iam ad ipsam rem accedamus.

Ait igitur Abulpharagius p. 21 sq.: „Fertur tempore Mosis fuisse tertium diluvium in Thessalia, inventique Anunius (al. Anunius) sapiens artem semiae, Chiron dedit Medicinam, Mayandrus poeseos genus, quod Comoedia audit, in qua commemorantur vitia, dicta scurrilia et actu turpia hominibus cum bestiis communia. Repertum etiam ab alio genus aliud poeseos, quod Tragoedia dicitur, in quo recensentur virtutes, laudes et commemoraciones benefactorum, hominibus cum Angelis communia. Referunt etiam illi qui hominum classibus indagandis student, fuisse in Aegypto post diluvium doctos in variis philosophiae generibus, in mathematicis, physica et metaphysica et praecipue in scientia alchymica, telesmatum, praestigiorum et speculorum comburentium. Ac confirmatur hoc dicto Dei in lege de Mose, quod calluerit omnem sapientiam Aegyptiorum.“ Sequuntur nonnulla de litterarum sede a Graecis Memphi Alexandriam, a Moslemis Alexandria Phustatam i. e. Cahiram translata. Pro his Barhebraeus p. 14: „Hoc tempore fuit diluvium tertium in Thessalia diebus Deucalionis, et incendium magnum in Cusch diebus Pharonis, bellumque grave Chaldaeorum cum Phoenicibus; Eunnius invenit Semiam et Menander comoediam, Chaeron et Asclepiades medicinam.“ Vides Abulpharagium Barhebraeo copiosorem, ut omnino solet in iis, quae ad litteras et doctrinam pertinent, in quibus est praecipuum operis Arabici augmentum, quum in rerum gestarum scriptione Syriacum latius fluat. Hic, ut cursim dicamus de levioribus, pro Chirone Chaeron positus est Brunzii culpa, Menandri nomen a librario Arabico corruptum duobus punctis infra litteram positus pro una supra ponenda, Pharon e Pharaone et Phaethonte conflatus (cfr. Euseb. chron. a. 490 Scal. 477 Arm. Syncell. p. 157 b), Asclepiades neque uno hoc loco neque insolita ipsis Graecis patronymi-

corum usurpatione dictus pro Aesculapio.<sup>8)</sup> Sēmia vero sive simia, quam Bauerus parum dilucide signorum artem interpretatus est, Kirschius pro scenica corrupte dictam coniciebat, apud Arabes pariter atque kimia a chemia sive chymia, chi Graeco modo in keph modo in sin abeunte, denominata, deinde ad barbaricas etymologias deflexa et a synonymo distincta, alteram disciplinae arcana superstitione famosissimae partem efficiebat, ut illa, quae erat Graeco nomini proprior, in herbarum, haec in metallorum viribus explorandis versaretur, illa, si Herbeloto credimus, communi Arabum atque Graecorum opinione Chironi inventori tributa, haec Ammonio; tum vero illa omnem terrestrium virium amplecteretur cognitionem et artificialem usum, haec ad sublimes spiritus sive daemonas cogendos attrahendosque valeret et esset quaedam theurgica atque magica,<sup>9)</sup> quam significare Gregorium voluisse conicio, quod in Labbei nova bibliotheca mss. librorum (Paris. 1653) p. 257 exhibetur libri Arabici titulus „Eunomius de praestigis.“ Sed in ista non tam arte quam fraudium ineptiarumque colluvie neque de nomine cum hoc auctore litigabo nec magis de tempore, quam illius originem antediluvianam et Mariae, Mosis sororis, scripta alchymistica etiam Graeculi recentiores praedicarent.<sup>10)</sup> Verum ad Menandrum quod deerrare potuit et ista de eo tradere, documento est, non solum vere a quibusdam existimari poesin scenicam a Semiticarum, quas vocamus, gentium indole abhorrere,<sup>11)</sup> verum etiam scriptorem, quae sit Graecarum litterarum natura, quibusque incrementis adoleverit, cogitatione plane non comprehendisse. Sed scenam Atticam tot post saecula ignorasse licuerit Asiano, quamquam, unde conflatum sit istud portenti, adhuc incompertum habeo.<sup>12)</sup>

<sup>8)</sup> Abulph. p. 7 sq. 59. Barh. p. 35. Armenius Eusebii interpres II, p. 129 Dioscoridas dixit pro Dioscoris. De Graecis Hemsterhus. ad Lucian. Tim. 44. Koen. ad Greg. Cor. p. 290. Sturz opusc. p. 25. Passov. opusc. p. 303 sqq. Lobeck. Aglaoph. p. 982, alii.

<sup>9)</sup> Herbelot. biblioth. orient. v. kimia t. II p. 460 v. simia t. III p. 318 ed. Hag. a. 1777. Adde Sylv. de Sacy ad Abdallat. p. 491. De Ammonio apud Graecos nondum quidquam inveni; qui dictus fuerit pro Ammone in Hermeticis disciplinis non ignobili, ut a Firmico Anubius pro Anubi, rectius tamen pro Anubione, ut alio loco exponemus, Posidonius pro Neptuno Abulph. p. 58. Barh. p. 34. Malal. VI p. 208. Cedren. p. 140 d. Ceterum Herb. priori loco et v. kiroun Chironem cum Core Mosis patruela comparat, qui Carun apud Arabes vocatur v. c. apud Abulphedam hist. anteis. p. 33.

<sup>10)</sup> Similem ab causam dicere nolumus de tribus Hermetibus, quos commemorat Abulphar. p. 6 sq. fortasse secundum Secretum Secretorum pseudaristotelium (cfr. Fabric. bibl. Gr. III p. 283 sq.); neque de Zoroastre, ibid. p. 54; quamquam de his nonnulla ab eo etiam minus absurda quam a Graecis auctoribus traduntur.

<sup>11)</sup> Eleganter de hac re exposuit Philippon ad Ezech. trag. p. 7. Mirum apud Asianos Menandri in quendam quasi morum magistrum transfigurandi infortunium. Alterum est praeter illud Gregorianum, quod, quam Eusebius in chronico scripsisset, ut est apud Syncellum p. 275 a. *Μένανδρος ὁ κωμικὸς ποιητὴς πρῶτον δράμα διδάξας Ὀργὴν ἐνίκαι*, id Armenius interpres ita vertit vel potius pervertit, p. 224 Aucher., ut dicat Meandrum (sic) primum virtutem ostentasse, superasse enim iracundiam. Cf. Neumann Mémoire sur David p. 55. — Animi causa simile quid addam. Scripserat Eusebius: *Ἀμφίον Θηβῶν βασιλευσέν (ὡς ἄλλοι Syncell. p. 156 d.) οὗτος ἐμυθεύετο κισσαρίων θέλγειν τοὺς λίθους, οὗς εὐλόγως ὑποληπτέον ἠλεθίους τινὰς ἀνθρώπων*. Hinc Barh. p. 16: „Eodem tempore regnavit in Thebaide Apulon, qui cantu citharae saxa commovit, videlicet corda dura et crudelia.“ Deinde Abulph. p. 26: „Tempore ipsius fuit Abulun, rex Zingitarum, cuius canto factum est, ut submitterent se illi saxa, i. e. obsequerentur corda dura.“ Nonne salvere iubebunt mythologi Apollinem Aethiopicum?

<sup>12)</sup> Comparem habet Ioannem Malalam, qui III, p. 76 haec refert: *ἐν τοῖς χρόνοις δὲ τοῦ Μωσαίου βασιλευσε τῶν Ἀσσυρίων Ἐρεχθεύς, τῶν δὲ Αἰγυπτίων βασιλευσε Πειτισσῶντος ὁ κωμικὸς Φαραῶν· οὗτος εἶχε μέγους κίλ.* Pro ridi-

Nec longe petendum est exemplum alterum. Postquam enim dixit anno duodetricesimo regni Davidis conditas esse Ephesum et Samum, hoc modo pergit Abulph. p. 33: „Eius tempore fuit Empedocles sapiens, una e quinque columnis [philosophiae]; illum autumo, Pythagoram, Socratem, Platonem et Aristotelem. Ille primus attributa ab essentia creatoris altissimi semovit, dicens: essentia est existentia eius et existentia eius essentia; vita autem et sapientia duae sunt notiones, quae non necessario inferunt contrarietatem in essentia. Scripsit ille librum ad refutandum resurrectionem spiritualem, multo magis corporalem. Secutus est sententiam eius Salomon, filius Davidis, libro suo in quo se ipsum vocat Koheleth i. e. congregatorem, in quo imitatus est sectam Dahritarum [secularium].“ Eadem tantum non ad verbum convenientia praeter secularium<sup>13)</sup> mentionem invenies apud Barhebr. p. 18 sq. Satin' incredibilia narrare putas? Non opus est refutatione in fraude manifesta; Agrigentini certe interpretibus contemnere licuit. Sed tamen merane sunt huius scriptoris somnia? Parum hoc quidem probabile, sed quid statuendum? Duos extitisse Empedocles nomine philosophos, nec esse nisi in temporibus erratum, nemo facile litterarum antiquarum peritior ut credat animum inducet. Cogitabam, quum primum in hunc locum scriptoris monophysitae incidi, de Ioanne Philopono, qui ad impugnandum dogma Chalcedonense *φύσεως* et *ὑποστάσεως* in Christo esse discrimen negavit (Neander K. G. II p. 792 ed. pr.), quemque Photius bibl. c. 21 sqq. refert peculiari libro sustulisse corporum resurrectionem; recordabar Aeneae Gazae Theophrastum et Zachariae Mytilenaei Ammonium et Theodoretum aliorumque patrum dialogos, quod erat dicendi genus illis temporibus satis frequentatum, et aliquem animo fingebam sive Philoponi sive sectatoris dialogum, in quo persona fuisset Empedoclis, unde nomen libro, deinde errore non singulari etiam

culo *κομωδός* Cedrenus p. 46 c. habet *καί*, quod facile probatur; Benteius coniecit *τῷ Μωσεί*. Sed apud Ioannem nihil mutandum vel propter eius popularem Gregorium.

13) „Scias autem (dirigat te Deus) philosophos qui in rerum principia inquisiverunt, dividi in Seculares, Naturales et Theologos. Seculares secta sunt antiquorum, qui mundo conditorem et gubernatorem esse negarunt, affirmantes nunquam non extitisse mundum per se, a nullo opifice conditum. Naturales illi sunt qui naturarum actiones et passiones, et quae ex mutuis earum actionibus animalia et plantae orta sunt, rimati sunt, et quae plantis proprietates sint, quae animalium membris compositio, indagarunt, Deo gloriam tribuentes, et creaturis affirmantes ipsum potentem, sapientem et omniscium esse; nisi quod animum una cum corpore interire, nec superstitem esse opinentur. Theologi tandem [appellantur] e Graeciae sapientibus, qui his tempore posteriores, quales sunt Socrates Platonis praceptor et Plato Aristotelis. Aristoteles autem is est, qui has scientias in ordinem et methodum redegit, earum fundamenta stabilivit, quae in illis utilia, ornata reddidit, massae eorum insulsae fermentum indidit, et crudas adhuc ad maturitatem perduxit; qui orationis vias et veros canones explicuit, qui Seculares et Naturales confutavit, ipsos inclamans, et eorum erroribus in lucem proferendis incumbens: Platonis et Socratis sermones defaecavit, firmavit, excoluit, in methodum redegit, adeo ut evaserit oratio ipsius omniump elegantissima, optime composita et significantissima. Quisquis autem ipsius verba e Graeca in alias linguas transtulit, immutavit, coniecit, nec debito more rem agit.“ Sequuntur tamen laudes Alfarabii et Avicennae apud Abulph. p. 60 sq., qui in laudem conversa Aristotelis reprehensione haec transtulit e libro Al-gazelis philosophi moslemici orthodoxi (v. Herbelot v. elabionn I p. 628), qui vixit ab anno hegiriaco 450 ad 505 (Herb. v. Gazali II p. 66. Wüstenfeld Acad. der Ar. 9 p. 13 sq.) i. e. ab anno Chr. 1058 ad 1111; falso enim Tennemannus a. 1127 mortuum scripsit.

scriptori impositum,<sup>14)</sup> et in partes vocatus ecclesiastes, qui fertur, Salomonis, velut III, 18 sqq.<sup>15)</sup> Iam video plura esse, propter quae probari ea ratio non queat, et probabilius puto in subditiis haberi et illud de divinitate decretum et librum de vanitate resurrectionis, et nomen Empedoclis impositum, non quidem errore propter quandam ab Athenagora, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino decantatam eius ἀθεότητα, quae certe de libro contra resurrectionem scripto Wenrichii opinio est (de Graec. auct. versionn. p. 90), sed fraude voluntaria iis fere temporibus, quibus in divinitatis ac praecipue divinae trinitatis (etenim σοφία i. q. λόγος, ζωή i. q. πνεῦμα), tum vero etiam animi humani natura comprehendenda atque definienda hominum studia ferrent, a falsario haeretico ac, puto, iudaizante. Nam de resurrectione sublata quum varie iudicare possit, ut aut iniuste ab adversariis imputata dicantur, quae non hoc sensu prolata fuerant sive mystice sive philosophice, sive e Graecorum sive ex Asianorum commentis repetita, aut de ipsa cogitandum videatur doctrina Sadducaeorum; illud de attributis divinis, quod traditur docuisse Empedocles non solum a posterioribus philosophis Iudaeis praecipitur, velut, ab illo Mose Maimonide,<sup>16)</sup> qui saec. XII clarus fuit, sed etiam, ut ipse ait Abulph. p. 81, plane conveniunt, quae saec. III Sabellius docuit de trinitate, quem ex apocrypho Iudaeorum Alexandrinorum evangelio sua mutuatum refert Epiphanius haer. 62. Sed Mohammedanorum quoque nonnullos, qui Motazalae s. Basiliani dicuntur, eam haeresin secutos esse, ut in deo attributa negarent habere substantiam, docet Abulph. p. 81 et 105; quibus quae opposita fuit secta Aschariorum, in eius, qui saec. XII floruit doctoribus, Mohammedem Schahrestanitam in libro de sectis et religionibus conscripto<sup>17)</sup> et Empedoclem ad Davidis regnum retulisse scimus ex Abulphedae hist. anteisl. p. 153, et quum alia, quae in dogmatum Christianorum historia Sabellianis tribuuntur, tum ea quae de attributis et personis divinis Sa-

<sup>14)</sup> In controversia fuit opus, quod superest, de arte coquinaria, Apicii inscribendus sit an Apicius. Xenophanes, quod persona erat in Timonis sillis, ipse dictus est sillos composuisse.

<sup>15)</sup> Quid? quod fuerunt qui Cleopatram reginam cum antiquo illo magorum coryphaeo Ostane aliisque eiusdem farinae magistris de lapide philosophico colloquentem facerent, atque adeo cum Rabbi Meïro de resurrectione mortuorum disputantem! Wolf mul. Graec. p. 317. Quam vero grata fuerit nonnullis visa dialogi forma, testis est Gemaleddinus in vita Honaini, apud Casirium bibl. Arab. Hisp. I p. 286. „Galenı libros“, inquit, „secundum Alexandrinorum methodum, quos imitandos sibi proposuerat, in optimam dialogi formam redegit.“ Vixit Honainus saec. IX medio. Ita etiam Alexandri Aphrodisiensis commentarius in lib. VIII physicorum Aristotelis in modum dialogi conversus fuit. Casir. I p. 244.

<sup>16)</sup> More Nevochim I, 53, p. 84 sq. „Tu autem scias, quod Sapientia et Vita in Deo idem sint, quatenus per utrumque hoc attributum significatur, quod Deus se ipsum vel essentiam suam apprehendat, quia omne, quod apprehendit essentiam suam, Vita et Sapientia est praeditum. Deinde, quod Essentia apprehendens in Deo revera nihil aliud sit, quam Essentia apprehensa. Nam Deus non est compositus ex duabus rebus etc.“ I, 58 p. 94: „Nam essentia ipsius non est ita comparata, ut existentia ipsi accidat; nam ita existentia foret res adventitia, sed semper et necessario existit, nec quicquam novi unquam in eo exoritur, neque etiam accidens aliquid ei accidit. Quare Existit, sed non per existentiam; Vivit, sed non per vitam; Scit, sed non per scientiam; Potens est, sed non per potentiam; Sapiens est, sed non per sapientiam; verum omnia in ipso sunt unum et idem, nullaque in eo multitudo.“

<sup>17)</sup> De eo videndi sunt, quos laudat Fleischerus ad Abulphed. hist. anteisl. p. 211. Eius libri partem I Arabicè nuper edidit Guil. Cureton Londinii a. 1842.

bellium decrevisse Abulpharagius scribit, tribuere Nestorianis nuper cognovimus ex loco allato in Nov. ephem. litter. Ien. a. 1843 nr. 278 p. 1128. Cfr. Abulphed. hist. anteiscl. p. 165. Hinc facile intelligitur, qui factum sit, ut Honainus, Isaaci filius, ille inter scriptorum Graecorum interpretes longe celeberrimus, qui saec. IX floruit, secta Nestorianus,<sup>18)</sup> eo loco, quem attulit Sturzius Emped. p. 11 sq., narrare potuerit, Empedoclis, quem ait tempore Davidis a Locmano sapiente philosophiam in Syria accepisse, deinde in patriam reversum de creatione mundi<sup>19)</sup> et de aliis rebus locutum esse et scripsisse, huius igitur argui doctrinam, sed libros eius a presbytero (scheich) quodam Hierosolymitano domui sanctae legatos attente se legisse nec ullum errorem animadvertisse. Novissime etiam Hagium (Hadschi) Chaliphum<sup>20)</sup> de aetate Empedoclis et de libro contra resurrectionem scripto consentire cum Abulpharagio video apud Wenrichium p. 90, quem fugit locus Honaini. Iam quid commoverit falsarium, ut et Empedocli et isti antiquitati placita sua affingeret, aegre dicam, quamquam hoc fortasse non contemnendum, quod Empedoclem quidam pariter atque Pythagoram, Democritum, Platonem ad magicen discendam navigasse ferebant (Plin. h. n. XXX, 1. Philostrat. vit. Ap. I, 2), et quod triadem Empedocleae isti similem in Orphei theologumenis (*βουλὴν, γῶς, ζῶην*) reperiri legimus ap. Malal. IV p. 91. Cedren. p. 57 d. 84 b. Suid. v. Ὀρφεύς p. 1177 Bernh., ex illis nimirum triadibus repetitam, quibus Platoniorum et praecipue Damascii de principiis quaestiones plane refertae sunt; Orpheum autem apud Orientales illos ego (nec enim possum nisi de mea dicere ignorantia) non magis inveni, quam apud Graecos ementitum illum Empedoclem. Verum his de rebus utcumque statuendum erit, hoc certe patet, si forte maphrianus Iacobita non integre iudicavit de doctrina Nestorianis accepta, ipsum de Empedocle errorem non huius esse unius hominis, sed in Oriente pervulgatum.<sup>21)</sup>

<sup>18)</sup> De eo scripserunt Gemaedd. ap. Casir. I p. 286 sq. Barh. p. 173 sq. Abulphar. p. 171. Abulphed. ann. musul. II p. 245 c. annot. Reiskii; praeterea Herbelot v. Honain. Wenrich. p. 96. Wüstenfeld Ar. Aerzte 69 p. 26 sqq. Fluegel de arab. scr. Gr. interpr. p. 15, a quibus etiam alii laudantur a me non visi. Neque enim alius quam hic Honainus Isaaci filius Ebadita, a Latinis dictus Iohannitius, est ille Al Hakim Halman ebn Isaak Al-Obadi, cuius ex Compendio historico Haramisitarum Sim. Assemanus in Catalogo codd. mss. biblioth. Naniae Patavii a. 1782 italice edito p. 45 protulit locum a Iac. Morellio cum Sturzio communicatum.

<sup>19)</sup> *Λέγει γὰρ ἐν τῇ κοσμοποιίᾳ*, de vero Empedocle ait Aristot. phys. ausc. II, 4.

<sup>20)</sup> Ortu Constantinopolitanus saec. XVII conscripsit lexicon bibliographicum et encyclopaedicum, cuius inde ab a. 1835 tres Fluegelius tomos edidit. De quo praeterea post Galandum praef. ad Herb. bibl. Ar. p. XXIII scripserunt Wenrichius p. XVI et Hammerus locis ab hoc laudatis.

<sup>21)</sup> Ne eum quidem ab hoc diversum Empedoclem putem, quem auctor cabalisticus libri Cosri IV, 25 p. 315 et V, 14 p. 358 (Sturz. p. 13) memorat, vel eo, quod una cum Pythagora, Aristotele, Platone, Hippocrate sectae principem eum fecit. Honainus quoque Empedoclem suo tempore habuisse aecclae narrat. Sed plane incertum, quid senserit Eutyechius, patriarcha Alexandrinus orthodoxus idemque medicus saec. X clarus, qui annales conscripsit ab origine mundi ad sua tempora pertinentes, in quibus I p. 267 Darii Nothi temporibus dicitur floruisse in Graecia sapientes et philosophi Hercules, Malus (Thales?), Pythagoras, Socrates, Solon legislator, Zenon et Empedocles. — Atque hae sunt, quae de Empedocle Orientalium opinioniones mihi innotuerunt; nam Ebn Abi Osaibea, historiae medicae scriptor, Abulpharagio fere aequalis (Wüstenf. 237 p. 132 sqq. Wenrich. p. XII), in vitarum cap. IV de eo quae tradiderit, nondum constat. Qui autem in Act. erud. Lips. t. VII suppl. (1721) s. IX p. 419 (Sturz. p. 80) Empedoclis apud Arabes ingentem notitiam variosque ob id libros allatos praedicavit, si plura scivit, certe non prodidit.

Omnino quae dedit, licet falsa sint, nec ambitiose dedit, nec mala fide. Sequuntur enim in libro Arabico huiusmodi verba: „Scias autem reperiri in iis, in quos ea de re inquiritur, contrarietas multa (sic!) in epochis annorum [quibus vixerint] philosophi; memoratur enim in quibusdam eorum Thaletem Milesium primum fuisse Graecorum, qui philosophiam professus sit, et poesin floruisse inter Graecos ante philosophiam annis ducentis, eique originem dedisse Homerum. Porro tradit Cyrillus (in libro suo quo respondet Iuliano, in iis rebus quibus fidem evangelio derogare conabatur) fuisse Thaletem ante initium regni Nebuchadnesaris viginti octo annis. Dicit autem Porphyrius floruisse Thaletem post Nebuchadnesarem centum et viginti tribus annis. Ait alius, primum qui philosophiae operam dedit fuisse Pythagoram. Asserunt etiam Islamitarum nonnulli, primum qui a sapientia denominatus sit, fuisse Locmannum, qui tempore Davidis claruit,<sup>22)</sup> et ab illo accepisse Empedoclem. At cum instituti hic nostri non sit exacte definire annos philosophorum, verum ex illis nonnulla recensere, quae quod laudabile fuit in eorum moribus expriment, atque animum oblectare auditu quorundam ab iis scite dictorum: in quibus coniungatur cum sapientia iocus, cum utilitate urbanitas, cum severitate lusus, et cum gravitate hilaritas; quaeque sunt flatus [quidam] inter animos generosos concitati, et nubes ab ingenii praecellentibus stillantes, nihil nostra intererit utrum tempora, quibus facta fuerit eorum mentio, sint ea quibus revera floruerint, necne. Quod autem hic a nobis expressum est de temporibus istorum philosophorum antiquorum, illud est quod transtulimus e duobus libris Eusebii et Andronici chronologorum, cum viderimus idem sentire cum illis praecellentissimum studiosorum Iacobum Rohensem, qui in tribus linguis, Hebraea, Graeca, et Syra, excelluit.“ Haec ille, de quibus nihil Barhebraeus. Poterat, opinor, tanta maphriani doctrina obstupescere Saracenos hiantes; neque tamen eo magis textit excusando ignorationem. Velut Nabuchodonosoris (utamur enim hac nominis forma Latine scribentes) apud Cyrillum nulla mentio extat eo loco, ubi de Thaletis aetate scribit, adv. Iulian. I, p. 12 ed. Spanh. *τριακοστῆ πέμπτῃ ὀλυμπιάδι*, inquit, *Θαλῆς Μιλήσιος πρῶτος φυσικὸς φιλόσοφος γενέσθαι λέγεται, παρατείνεσθαι δὲ τὴν ζωὴν αὐτοῦ φασὶν ἕως πεντηκοστῆς ὀγδοῆς ὀλυμπιάδος*. Quamquam haec prope conveniunt cum Eusebii canone, non Armeniaco quidem, in quo initium Nabuchodonosoris ponitur ol. 44, 1, assentiente canone Ptolemaei, sed cum Latino, in quo ea epoea secundum ecclesiasticam computationem ponitur ol. 42, 2. Thales igitur 28 annis ante ponendus ol. 35, 2, unius anni discrimine ab Eusebio, qui ad ol. 35, 1<sup>23)</sup> ea verba posuit, quae apud Cyrillum legimus, nisi quod agnoscii apud interpretes dicitur, qui nasci dicendus erat, itemque ad ol. 58 1 Arm. 57, 3 Lat. mortuum retulit; quae omnia revocanda sunt ad locum Diog. Laert. I, 37: *ἦσθαι δ' Ἀπολλόδορος ἐν τοῖς χρονικοῖς γεγενῆσθαι αὐτὸν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς τριακοστῆς πέμπτῆς ὀλυμπιάδος· ἐτελεύτησε δ' ἐτῶν ἑβδομήκοντα ἦ, ὡς Σωσιγόνης γησὶν*,

<sup>22)</sup> „Si Zamachscharium, diligentissimum illum Alcorani explicatorem“ [1074 — 1143] „audiamus, Locmanus filius Bauri fuit, lobi ex sorore nepotis. Ex aliorum sententia Baurus ille Nachoris filius, Abrahamique ex fratre nepos fuit. Vixit Locmanus, eodem Zamachschario auctore, mille annos, attigitque Davidis aetatem, cui et sapientiam suam acceptam referebat. Alii Davidis demum aetate natum indeque ad Ionae prophetae tempora usque vixisse existimant.“ Wenr. p. 80. Vides Arabes egregie fabulari de fabulatore egregio.

<sup>23)</sup> Ad sequens annum poni dicitur in Maii editione, quam ego nunc non possum inspicere.

ἐγνενήκοντα, τελενηῆσαι γὰρ ἐπὶ τῆς πενητησοσθῆς ὀγδόης ὀλυμπιάδος. Sed hoc quum ferri quodammodo possit, quid fiet Porphyrio, quem nec de Babylonio illo rege dixisse probabile est, et aequales fecisse Thaletem atque Anaxagoram plane absurdum? Necessse est hic quoque, id quod saepe Arabum scriptoribus accidit,<sup>24)</sup> permutatum cum Nabuchodonosore Nabonassarum illum statuamus, cuius epocha incidit in ol. 8, 1. Adiectis nimirum annis 123 efficitur ol. 38, 4; quo tempore si natum ex Porphyrii sententia Thaletem putamus, annum aetatis 78num explevit ol. 38, 2. Nec magis quam Cyrillum et Porphyrium hic scriptor videtur adisse Eusebium; nam quum his scripserit Eusebius agnosci Thaletem, et ol. 35, 1 ad Apollodori, ut vidimus, sententiam, et antea ol. 7, 2, quod Suidas v. *Θαλῆς* testatur tradidisse Phlegontem Trallianum,<sup>25)</sup> quamquam mirabiliter accidit, ut alter locus apud Syncellum, alter in Armeniaco codice non inveniatur, illud Cyrillo vindicavit, alterum cum expressa chronicorum mentione Eusebio, Abulph. p. 41, ubi ad Achazi, regis Iudaei, tempora Thales refertur; quippe altero loco iam pridem Cyrilli auctoritatem intrusisse videntur ecclesiasticorum studia. Quod enim Barh. p. 26 sub rege Manasse Thaletem commemoravit,<sup>26)</sup> id prorsus est singulare et in Arabico libro omissum. Itaque si secutus est Eusebium, non ipsum secutus est verum ac germanum, sed interpolatum atque corruptum.<sup>27)</sup> Andronicum quidem chronographum non citavit, quod sciam, nisi unus hic scriptor,<sup>28)</sup> sed ita semper coniunctum cum Africano, Eusebio, Aniano, aliis annalium scriptoribus, ut eorum omnium notitiam debuisset videatur uni auctori suo, sive is fuit ille, cuius ab auctoritate hoc quoque loco eorum fidem suspendit, Iacobus Rohensis i. e. Edessenus episcopus, qui ab anno 651 ad 710 sedem obtinuit et praeter alia multa, quae vel de Graeco vertit vel ipse conscripsit, chronicon condidit (Assem. bibl. or. I, p. 468 sq. 476 sqq. III, 1, p. 229); sive posteriorum aliquis chronographorum, quos Barh. p. 2. 38. 49 nominat, seu denique ipse Michael

<sup>24)</sup> Multa exempla vide apud Abulphed. hist. antei. p. 10. 11, qui quod p. 155 Hippocratem annis 196 post Nabuchodonosorem, 1170 et aliquot ante fugam Prophetae exortum ait, eodem errore nititur. Thaletem recte ad Nabuchodonosorem retulit.

<sup>25)</sup> Omissus est hic locus in reliquis Phlegontis a Westermanno congestis.

<sup>26)</sup> Auctor Chronici Paschalis bis commemorat Thaletem Milesium philosophum mortuum, primum in insula Tenedo regnante Ezechia Iudaeo (uti et Pollux hist. phys. p. 166) ol. 10, 4; iterum Cyro regnante 91 annos natum ol. 35, 4.

<sup>27)</sup> Ex rerum gestarum memoria exemplum afferre liceat unum pro multis. Ad annum 15 Artaxerxis Mnemonis Euseb. memoravit Romam a Gallis captam, ad antecedentem Carthaginiensium bellum sacrum. Abulph. p. 57 Barh. p. 33 eo anno narrat Africanum ducem Romanorum evertisse urbem Carthaginem et appellatam esse regionem de nomine eius Africam. Nempe occupaverat id vitium Byzantinos, quorum nonnulli eodem tempore Carthaginem a Romanis, Romam a Gallis expugnatam concoxerunt. Chron. Pasch. p. 167 c. 169 a. Syncell. p. 258 b. c. Cedren. p. 145 d.

<sup>28)</sup> Tradiderat Iosum duxisse Israelitas post Mosis obitum annos 20, Barh. p. 15; Philistaeos Israelitis imperasse annos 20, Barh. p. 17. Abulph. p. 27; post Simsonem seniores iudicasse annis 10, ibid.; anno secundo Darii Hystaspis f. expletos fuisse 70 annos captivitatis Babylonicae, Barh. p. 31, vel anno primo Abulph. p. 54 (ubi Pocockius lapsus est interpretando, recte Bauerns p. 77); ab Adamo ad Seleucum annos esse 5083, Barh. p. 38; Iesum Christum passum esse anno Graecorum (i. e. post epocham Syrorum) 342. Barh. p. 49. Apparet chronographum fuisse Christianum et inter saeculum quartum septimumque vixisse. Certe alius videtur esse historicus Andronicus cognomento Alypius, quem ante Porphyrium scripsisse docet Hieronymus extrema praefatione commentarii in Daniele, t. III, p. 1074 Martiani; nec vero multo ante scripsisse, docet cognomentum.



patriarcha, quem novissimo tempore ante 80 annos chronicon concinnasse ait Barh. p. 2. 29) Quorum chronica etsi omnia aut perierunt aut mihi certe parum cognita sunt,<sup>30)</sup> tamen existimare non dubito, ut in chronologia sacra, quae dicitur, et in rebus patriis inter se discrepasse, ita in Graecis quum rebus tum vero maxime litteris ad sua quibusque tempora digerendis pependisse ab Eusebio, quem in iis, quae de scriptoribus Graecis tradit, sive ipsum sua sponte sive Africano auctore confisum, sequi prae ceteris arbitror chronica Apollodori.<sup>31)</sup> Quo factum est, ut, exceptis duabus illis immanibus de Menandro et Empedocle halucinationibus, quibus nulla apud hunc Gregorium gravior turpiorque reperitur, ubi de eorum refert aetatibus, qui etiam apud Eusebium commemorantur, non ultra saeculi dimidium homo aberret, quae res aliquam habet a canonis indole excusationem, quum etiam Latina Hieronymi interpretatio ab Armeniaca in numeris aliquoties discordet; contra ea, ubi de suo quaedam afferre instituit, rarum sit, ut idem non magnopere fallatur, neque tamen suo per omnia periculo, sed saepe, ut in Empedocle aliorum.

Etenim si quae praeter nuda nomina de scriptoribus Graecis assert, ea tantum non omnia fere ad verbum repetita sunt ex illa Bibliotheca philosophorum Arabica (tharich alhocma), cuius particulas aliquot praestantissimas Michael Casirius inseruit tomo primo Bibliothecae Arabico-Hispanae Escorialensis Matriri a. 1760 edito. Qui quum libri auctorem ignoraret et hoc tantum intelligeret, patria Aegyptium fuisse et floruisse anno Hegirae 595 i. e. 1199 p. Ch. (II, p. 332), Fluegelius in annotatione ad Abulphedae historiam anteislamicam a Fleischero Lipsiae a. 1831 editam p. 223 et Wenrichius in praefatione libri de auctoribus Graecorum versionibus et commentariis Syriacis, Arabicis, Armeniacis Persicisque Lipsiae a. 1842 divulgati p. II sqq. demonstrarunt, esse cum Gemaleddinum, qui vocatur Ebn Alcophti, hominem doctissimum et librorum undique colligendorum studiosissimum, Copto, Aegypti superioris oppido, oriundum, natum, ut Abulph. p. 340 ait, a. 1172, ut Saladinus Assaphadius ap. Flueg. l. I., a. 1170, deinde Cahirae in academia Moizzia litteris institutum,<sup>32)</sup> tum Halebi alternis regulatorum negotiis et litterarum

<sup>29)</sup> Non sua tradere Abulph., sed aliunde repetita, docere potest etiam Abulphedae locus hist. anteisl. p. 153, ubi ad ostendam philosophiae aetatem incertam itidem Nabuchodonosor, Cyrillus, Empedocles Davidi aequalis citantur. Ibi Pythagoras quoque Salomonis aetate vixisse traditur et ex prophetis fontibus sapientiam hausisse. Similiter Iudaeorum quorundam ventosis mendaciis ferebatur Salomonis librorum compilator Aristoteles, Ezechielis discipulus Pythagoras, Achitophelis et Asaphi Socrates, Plato Ieremiae. Vid. Buxtorf. ad libr. Cosr. p. 30 sqq. Wolf. biblioth. Hebr. I p. 218. 983.

<sup>30)</sup> Apud Labbeum nov. bibl. mss. p. 255 inter libros Arabicos recensentur: „Chronica Pharophodia et Andronici“, deinde „Chronica Michaelis Patriarchae Antiochiae.“

<sup>31)</sup> Scio esse de quibus parum inter utrumque conveniat, sed eiusmodi pleraque, ut a canonis corrumpendi facilitate repeti possint. Deinde si quae sunt, de quibus plane taceat alteruter, probabile est, nonnulla vel consulto neglecta esse a posterioribus chronographis vel interiusse culpa librorum, et Apollodori chronicorum non ita multas constat superesse reliquias. Sed illud monere volui, quod mihi est satis memorabile visum, cum Aristarcho, qui fuit Apollodori praeceptor, ad ol. 156 repente intermitti apud Eusebium virorum doctorum mentiones, nec recipi ante ol. 195, ubi Sextus Pythagoreus agnosci traditur, et aliam inde existere commemorandi rationem; v. not. 74.

<sup>32)</sup> Hoc si vere tradidit Abulpharagius, falsa est de huius academiae conditore coniectura Wuestenfeldii, Akad. d. Arab. p. 112, et fortasse cogitandum de primo ex gente Fatimidarum chalipha Aegypti, qui regnavit ab anno 972 ad 975.

studiis intentum, denique ibi ad veziri dignitatem evecum a. 1235 in eaque mortuum a. 1248.<sup>33)</sup> Huius opere, in quo virorum doctrina insignium plus quam trecentorum, Graecorum, Syrorum, Arabum, Iudaeorum scripta et vitae modo uberius modo brevius litterarum ordine recensentur, (est vero typis nondum descriptum) hoc, inquam, opere Abulpharagium in rebus ad viros doctos pertinentibus ita usum esse, ut integros locos ad verbum transcriberet, et Casirius non semel monuit, et Fluegelius Wenrichiusque<sup>34)</sup> docuerunt, quos secuti nos quoque passim indicabimus. Obtinet nimirum apud Asianos quoddam historiae scribendae genus operi musivo fere non absimile, ita comparatum, ut discerptos antiquorum libros quasi frustillatim committant aut nullo aut satis levi immutandi conglutinandique negotio.<sup>35)</sup> Sed Gemaleddinus in litteram sua digerens, si cuius ignoraret aetatem, commode poterat praeterire silentio; quod quum non liceret annalium scriptori Gregorio, aut multa debebat omittere, quae memoratu digna viderentur, aut caeca quadam duci divinatione et mentionis quandam sectari opportunitatem, denique, id quod fecit, praemonere legentes, ne se in talibus fidem suam obligasse existimarent. Quod ut clarius perspiciatur, neve iniusta de homine feratur sententia, age, de scriptorum Graecorum aetatibus quae tradiderit, breviter percurram. Quodsi qui supervacaneum cavillentur negotium, hominis pro se deprecantis exagitare errores manifestos plerumque et satis spissos, reputent velim, quoniam est quibusdam quaedam etiam errandi ratio, esse aliquid cognoscere, qua quis ratione errare soleat, qui nonnulla memoriae prodidit, quae verane sint an falsa neque satis constet aliunde et scire tua intersit. Velut de Diophanti aetate, de Pauli Aeginetae, de Ioannis Philoponi quaerentibus vel sola vel ceteris minus ambigua offertur Abulpharagii auctoritas. Et quemadmodum, qui pueros docemus, e quibusdam eorum peccatis etiam industriae et ingenii testimonia sumimus, studiumque laudamus, etsi effectu caruit, ita huic quoque, quod ausus est errare, tantum absit, ut vitio vertamus, ut prae multis cum Byzantinis, quos ab eiusmodi erroribus ipsorum ignavia prohibuit, fortunae iniquitate in illorum et temporum et locorum barbariam detrusum doleamus. Sed illuc redeundum est. Ait igitur Barh. p. 19 secundum nonnullos Homerum et Hesiodum Salomonis temporibus vixisse;<sup>36)</sup> consentit Eusebius. — Barh. p. 23 et Abulph. p. 40 eodem ait secundum Porphyrium floruisse regnante Azaria; de Hesiodo convenit cum Eusebio Armeniaco; Homerum, de quo lepidam fabulam addit Abulphar.,<sup>37)</sup> centum annis Hesiodo antiquiorum fecerat Porphyrius, ut docet Suidas v. *Ὅμηρος* et *Ἡσίοδος*: perperam

<sup>33)</sup> Non confundendus est cum alio Gemaleddino plane aequali; de quo Abulphed. ann. musul. III p. 497.

<sup>34)</sup> Miror de Empedocle Gemaleddini sententiam non allatam a Wenrichio, quum inter viros ab hoc commemoratos eum retulerit p. IX.

<sup>35)</sup> Hanc rationem in historiis biblicis a sagacioribus quibusdam theologis perspectam, ut in Porphyrio et Iamblichio agnovit Meinersius, ego in Diogene Laertio agnoscendam aliquando, si Deo placuerit, demonstrabo.

<sup>36)</sup> Homerum eidem tempori assignavit Eutyech. ann. I p. 183.

<sup>37)</sup> „Dicitur Analiniam (al. Anabiam) scurram ad eum accedentem dixisse, Dieteris me incesse, ut ex convitiis tuis gloriam captem, cum laude tua non sim dignus, dicenteque illo, Nunquam id facturus sum, respondisse, Adiens ergo principes Graecorum pusillanimitatem tuam illis notam faciam. Cui statim Homerus, Accepimus, petente cane ut cum leone pugnam iniret in insula Cypro, abuisse [leonem] dedignatum [hoc facere]; dixit ergo canis, Abiens, ego ad leones ignaviam tuam illis indicabo. Cui leo, Ut exprobrent mihi leones, quod haud ausus fuerim tecum congredi, satius mihi est, quam ut mystaces meas sanguine tuo oblinam.“

igitur hic coniunxit, quos alibi coniunctim laudatos invenerat. — De Thalete iam satis dictum; se continuo addit Abulph., post Thaletem in mathematicis praecipue floruisse Apollonium geometram; hunc scribendi causam dedisse longo post tempore Euclidi, quem ortu Tyrium ait; fuisse in claris mathematicis etiam Archimedem et post hunc Menelaum. Hic vero maxime perspicuum est, quam parum interfuerit Abulpharagii, utrum tempora, in quibus faceret virorum doctorum mentionem, ea essent, quibus illi revera floruerint, necne. Primum enim Euclides vixit (*γένονε*) sub primo Ptolemaeo, ut Proculus ait comm. in Eucl. elem. II, p. 20; Apollonius, qui ipse Euclidis mentionem facit (con. I praef.), temporibus Ptolemaei Euergetae, ut ex Heraclii s. Heraclidae vita Archimedis refert Eutocius comm. in Apoll. con. I init.,<sup>38)</sup> operamque dederat Alexandriae Euclidis discipulis, teste Pappo coll. math. VII p. 251 ed. Bonon.<sup>39)</sup>; Archimedes quando et quomodo septuaginta quinque annos natus (Tzetz. chil. II, 105) interierit, vulgo notum; Menelaum denique anno primo Traiani Romae stellarum motus observasse, auctor est Ptolemaeus magn. constr. VI, 3 p. 170 sq. ed. Bas. Non credo eam fuisse Abulpharagii sententiam, ut Achazi tempore Apollonium floruisse existimaret, sed commemorato Thalete, qui et invenisse nonnulla in mathematicis et primus eam disciplinam intulisse in Graeciam putabatur, adiunxisse principum mathematicorum mentionem, quorum tempora ipse ignoraret. Etenim quaecumque de quattuor his mathematicis narrat, non sua sunt, sed excerpta e libro Gemaleddini ap. Casir. I, p. 385. 339.<sup>40)</sup> 383. 345. Ibi vero nulla est temporum nota nisi haec una, quod Euclide Apollonius antiquior perhibetur, et Alchindi, mathematici ac philosophi saec. IX clarissimi, qui de Euclidis librorum instituto scripserat (Casir. I p. 354), refertur sententia, in Apollonii conica commentarios edidisse Euclidem<sup>41)</sup> et elementa geometrica ab illo condita castigasse atque illustrasse; quorum quum utrumque falsum sit, alterum sine dubio ex epistola libro, qui Euclidis elementis adiunctus est XIVmus, praemissa originem duxit, quam qui scripsit, merito quidem ille iam dudum pro Euclide haberi desitus, sed habitus tamen aliquando, ait se *επομνηματίζασθαι* Apollonii librum de comparatione dodecaedri et icosaedri quae in eadem sphaera describuntur, quem librum cum

<sup>38)</sup> *Γέγονε μὲν ἐκ Πίργου τῆς ἐν Παμφυλίας ἐν χρόνοις τοῦ Εὐεργέτου Πτολεμαίου κτλ.* Commandinus *γένονε* vertit „natus est.“ Wegenerus de aul. Attal. p. 240 vel primo Euergetae anno vel etiam ante natum existimat; posterius verius puto. Apollonius astronomiae laude Philopatoris tempore famigeratus, quem ab accurata lunae observatione  $\epsilon$  cognominatum narrat Ptolemaeus Hephaestionis ap. Phot. bibl. c. 190 p. 151, idenne sit ac geometra Pergaeus, parum mihi liquet.

<sup>39)</sup> *Σχολιάσας τοῖς ἐπ' [ἀπ'] Εὐκλείδου μαθηταῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πλείστον χρόνον* gr. ap. Halleium in Apoll. de sect. rat. p. XV.

<sup>40)</sup> Ibi Euclides Naucratis filius, Zenarchi nepos vocatur, si modo nomina corrupta Casirius recte emendavit, genere Graecus, domicilio Damascenus, ortu Tyrius. Ultimum repetit Abulph.; Graecis omnia pariter inaudita. Naucratem geometram inveni apud Apollonium, qui eius rogatu se conica scribere aggressum fatetur, con. I praef. De Tyro patria in mentem venit Basilides Tyrius, elem. XIV praef., vel Apollonius Tyrius sive Stoicus scriptor sive rex fabulosus. Sed *ἐπέχειν* praestat. Pythagoram quoque Tyrium dixit nonnemo ap. Herbel. v. Pithagores, qui tueri sese poterat auctoritate Neanthis Cyziceni ap. Clem. Alex. strom. I, p. 352. Porphy. vit. Pyth. I. Damascum frequentasse, Emesae habitasse ferunt uno ore Barb. p. 32. Abulph. p. 55. Gemal. ap. Cas. I, p. 235 Hippocratem, quem cum vulgo Eutyeh. ann. I, p. 264 Coum appellat. Placuerunt, opinor, tam clari Syris populares. Sed Euclidem Alexandriae docuisse auctores sunt Pappus et Proculus II. II.

conicis, celeberrimo eiusdem opere, aliquis memoriae indigentior permutavit; alterum inde natum videtur, quod, quum traditum esset, fuisse qui ante Euclidem elementa conscripsissent, quorum illa opera consummasset (Hippocratem Chium, Leonem, Theudium Magnetem,<sup>42</sup>) Hermodimum Colophonium appellat Proculus l. l. p. 19), ad principem artis Apollonium, scilicet Euclide antiquiorem, ea laus deferretur. Nulla, ut diximus, praeterea est de quattuor illis mathematicis temporum definitio apud Gemaleddinum, quem quum plane secutus sit Abulpharagius, perspicuum est, ne hunc quidem de illorum temporibus quidquam voluisse definire.<sup>43</sup> Iam pergamus ad reliqua.

Amonem apud Iudaeos regnante Abulph. p. 44 ait in insula Rhodo floruisse Sibyllam, quam Herophilam nomine Manassis, qui Amonis pater fuerat, anno primo Eusebius Latinus idemque iterum anno quadragesimo quinto, Armeniacus undequinquagesimo in insula Samio insignem habitam refert. — Archilochum, quem sub finem regni Manassis Eusebius commemorat, item ad Amonem retulit Abulph., et quum ei, a quo interfectus est Archilochus, Callondae cognomen fuisse tradatur Coraci s. corvo (Suid. v. *Ἀρχιλόχος*. Plutarch. de ser. num. vind. 17), id cognominis ipsi dedit Archilocho, eumque perhibuit Coracem Siculum, cuius ex famosa cum Tisia discipulo (quem Thyssanam vocat,) contentione ortum dicunt proverbium *κακοῦ κόρακος κακὸν ὄν* Sext. Emp. adv. rhetor. 96 sq. Zenob. prov. IV, 82. Auctor prolegg. ad Hermog. vol. IV, p. 13 sq. ed. Walz. Sopater ad Hermog. art. vol. V, p. 6 sq. Hermias ad Plat. Phaedr. p. 191.<sup>44</sup>) — Nabuchodonosoris tempore Barh. p. 29 ait floruisse Hipparchum mathematicum; quem errorem evitavit Abulph. p. 47 in eius locum substitutis generatim astrologis Chaldaeis. Sed paullo post p. 50 ex auctoritate anonymi libri Syriaci eodem tempore ait clarum fuisse Autolycum geometram, quem Diogenes Laertius IV, 29 docet praeceptorem fuisse Arcesilae philosophi i. e. vixisse post annos circiter ducentos quinquaginta. Anonymus ille Nabuchodonosorem et Alexandrum, reges terrarum expugnatores, videtur confudisse; Gemaleddinus, cuius ipsa verba transcripsit Abulph., de tempore tacet (Casir. I. p. 345).<sup>45</sup> — Cum Autolyco coniunxit Abulph., quemadmodum in *μυροῦ*

<sup>41</sup>) Immo Aristaeum secutus erat Euclides in iis, quae de conicis tradiderat, Euclidem Apollonium, Papp. l. l., nec posterius ipse diffitetur, licet arrogantior, Apollonius.

<sup>42</sup>) *Θεόδοτος* nomen minime suspectum i. q. *Θεόδωτος* et *Θεωδῶς* pro *Θεόδοτος* et *Θεόδοτος* et *Θεοδόσιος*, addendum exemplis, quae tractat Lobeckius pathol. prolegg. p. 504 sq. — Theudio aequalis a Procilo commemoratur non Cygicinus Atheniensis, sed Athenaeus Cyzicenus.

<sup>43</sup>) Melius quod res est perspexit Abu Isa ap. Abulphed. hist. anteisl. p. 157, qui postquam dixit, Euclidem sub regibus Graecis Ptolemaeis, igitur haud multo post Aristotelem vixisse, haec addit: Euclides librum illum non ipse primum composuit, sed iam scriptum collegit, lectionem et sententias emendavit: propterea eius nomen libro praefixum est.

<sup>44</sup>) Iis, qui ad Protagoram et Euathlum eam fabellam retulisse reperiuntur apud Spengelium *συγγ. τεχν.* p. 27, adde schol. Hermog. stat. IV p. 180.

<sup>45</sup>) A Mohammede Isaaci filio, qui exeunte saec. IX scripsit Catalogum doctrinarum, litterarum historiae antiquissimum apud Arabes documentum (Wenr. p. XIX sq. Flueg. p. 6 sq.), Autolyceus dicitur in Euclidis elementa et in Aristotelis categorias scripsisse commentarios; Wenr. p. 209. Ea, quae Gemaledd. habet, qui illius opibus saepe usus est, tradidisse h. l. non videtur, quae tradidit, hic neglexit. Et sane Euclidis vel tempora adversantur; de categoriis in mentem venire potest Aelii, si nomen a Gemaledd. scriptum recte expressit Casir. I,

ἀστρονομουμένη Alexandrinorum coniungi solent, Theodosium sphaericorum scriptorem, repetens verba Gemaleddini (Casir. l. l.) de tempore hic quoque tacentis, professus insuper, non habere se tempus compertum illi designatum; idque prudenter; sunt enim hodie quoque, qui hunc Theodosium a Strabone XII, 4, p. 55 Techn. et Vitruvio IX, 8 (9) commemorari malint, quam Suidae v. Θεοδοσίος fidem haberi<sup>46)</sup> aetatemque definiri secundum Diog. Laert. IX, 70. 116. Galen. de subfig. empir. 13. de libr. propr. 1. 9. Quod autem Gemaleddinum secutus librum celeberrimum praedicat eorum, qui medii sint inter librum Euclidis et Almagesti, collectionem illam Alexandrinorum significat, apud Arabes sic vocari solitam (Wenr. p. 206), non temporis notam edit; quamquam hoc quoque licere alio loco demonstrabitur. —

Excipit hunc apud Abulpharagium Phurun philosophus Celidensis, quem qui pro Pyrrhone Eleo<sup>47)</sup> habent, Pocockio, Bauero, Herbeloto non videor mihi posse accedere, quia plane nullam video nisi nominis similitudinem ambiguan, adeo sunt, quae de eo traduntur, monstruose conflata. De quibus hariolationem quandam meam in ima pagina annotabo; unum hic non praeternittam, elementa Arabica eandem vel ferre vel etiam postulare nominis lectionem, quae in libri Arabici elogio extat apud Labbeum nov. bibl. mss. libr. p. 255: „Phoron Chaldaeus de animalibus.“<sup>48)</sup>

p. 304; et fortasse etiam commodius loci Anonymi Grammatici in Biblioth. Coislin. p. 508: τὸν δὲ Ἀριστοτέλην καὶ αὐτὸν ἐπονηματιζοῦσι πλείονες ὡν χρησιμώτεροι Πορφύριος Φοίνιξ, Ἀλέξανδρος Ἀφροδιαιεύς, Ἀτόκιος, Ζεγαρίας, καὶ Τριβρόνος . . . ἀδελφοί. Eutocium substituere per palaeographicas rationes licet, sed eum talia scripsisse minime constat.

<sup>46)</sup> Potest errasse Suidas, quum eundem fecit scepticum et mathematicum Theodosium, ut errasse puto Eudociam, quum eundem fecit poetam, cuius de vere carmen Meinekius Anal. Alex. p. VII (pro Theodosio scribens Theodotum, incertum an lapsu,) agnovisse sibi visus est in Cramerii Anecd. Paris IV p. 348 sqq.; in quo carmine refingendo, quod in transcurso moneam, attendendum videtur exemplum Tzetz. chil. VIII, 17. Potest, inquam, errasse Suidas, sed plane similiter Agrippae modos scepticos refert Diog. Laert. IX, 88, Agrippam anno 12mo Domitiani in Bithynia lunae cum pleiadibus coniunctionem observasse tradit Ptolemaeus magn. constr. VII, 3 p. 170, unde commemorat Proculus in hypotyp. astronom. posit. p. 48 ed. Basil. a. 1540.

<sup>47)</sup> Phaedon Elidensis Gell. N. A. II, 18. ὁ πολίτης ἀπὸ τῆς Ἠλίδος γενιζῆς ἀναλόγως Ἠλίδειος, ὡς Ἀδωνίδειος καὶ Ἐππολίδειος, καὶ κτηριζῶ τῆψω καθ' ἕφεσιν τοῦ δ' Ἠλίδος καὶ Ἠλίδος. Steph. Byz. v. Ἠλιδ. Legendum Ἐππολίδειος κτηριζῶ τῆψω, καί.

<sup>48)</sup> „Hoc etiam tempore“, Abulph. inquit, „fuit Phurun philosophus Celidensis, cuius doctrina prima illa fuit, quae non permansit: princeps sectae fuit, et didicerunt ab eo Pythagoras et Thales Milesius et plerique studiosorum e Graecis et Aegyptiis. Late patuit philosophia ista inter Graecos ante tempus Socratis; tum ab ea deflexerunt homines, eandem tamen confirmarunt e recentioribus quidam: inter quos fuit Mohammed filius Zachariae Alrazi, qui cum in scientiae (adyta) non penetraret, neque intentionem Aristotelis in ea perciperet, adeo ut perturbaretur ipsius iudicium, sententias infirmas amplexus pravae se addixit sectae, scil. Phurunis, homines, quos nequaquam intelligeret, quorumque viam calcare non potuit, reprehendens. Sectarii autem Phurunis istius vocantur voluptatis asseclae, quod scil: opinati sunt ultimum finem, qui in discenda philosophia proponitur, esse voluptatem, quae animae ex scientia sua, dum corpori unita sit, contingit, non autem ut liberetur a poena ignorantiae in saeculo futuro, quae Aristotelis sententia est: siquidem ex sententia ipsorum non futura est anima post corpus superstes.“ In ultimis, de voluptate quae iactantur, Pyrrhonios confusos putant cum Epicureis. Pyrrhonios valere iubeo, pro Epicureis malim Cyrenaicos, non quo horum disciplina sit illi, quam Abulph. descripsit, similior, sed quod uno puncto diacritico assumpto Phurun fit Carun, cui nomini satis est similitudinis in ore Arabico cum initio nominis Cyrenaicorum, ut ab homine male erudito ad eiusmodi conditorem

Deinde Abulph. p. 53 quod Pherecydem sub ultimo Medorum rege clarum fuisse tradit, non adeo discrepat ab Eusebio, qui sub primo Persarum. — Sub Dario Hystaspis f. Eusebius Pythagoram obiisse refert, item Barh. p. 31, Abulph. p. 55, etiam aetate adnotata annorum 95, quae excidit apud Eusebii interpretes, nam Syncellus habet p. 247 c.: *Πυθαγόρας ὁ φιλόσοφος τέθνηκεν ἐτῶν 79', οἱ δὲ 76* (Dindorf. *οέ*). — Continuo addit floruisse tum Democritum et Diogenem philosophos, sed ut Abulph. physicum cum cynico permutet, praeterea Anaxagoram physicum, Pindarum et Simonidem lyricos, Protagoram et Isocratem sophistas, Aristophanem et Aeschylum comicos; sed Aeschyli nomen ita depravatum, ut facili negotio in eius locum succedere possit vere comicus Eupolis, id quod iam Kirschius animadvertit ad Barh. p. VII. Ex his Democritus, Anaxagoras, Pindarus, Simonides atque, si diis placet, Aeschylus item ab Eusebio Darii regno subiciuntur; idem ad tertium vel quartum Xerxis annum scripserat vel debuerat scribere *οἱ περὶ Διογένην φυσικοὶ φιλόσοφοι ἤκμαζον*, quamquam hodie et apud interpretem utrumque et apud Cyrillum atque Syncellum pro Diogene notior, ut athenis, ecclesiasticis Diagoras reperitur, qui certe physicus philosophus nunquam extitit. Reliquos quidem ad Artaxerxium regna remisit Eusebius, sed ita tamen, ut eorum recentissimus floruisse dicatur, quo tempore Democritus obiit.

Haec vero nostrum hominem vel scientem sibi indulsisse, inde potest intelligi, quod in utroque chronico suo illis, quos diximus, viris adiunxit Hippocratem, quem Barh. p. 32 narrat magno praemio frustra arcessitum ab Ardeschiro i. e. Artaxerxe, Persarum rege,<sup>49)</sup> quo regnante Eusebius quoque cum floruisse scribit: neglexit etiam Gemaleddinum, qui annis circiter centum ante Alexandri M. tempora eum

revocari potuerint. Sed video, Epicureos quoque hoc modo tueri sese posse, de quibus locus geminus extat in libro Cosri V, 20 p. 371, si quis dicat, magnam esse in litteratura Arabica priorum Epicuri nominis syllabarum similitudinem cum vocibus Abu et Ebn in illius gentis nomenclatura usitatissimis, eoque potuisse excidere, Curus autem et Curun parum distare. Horum alterutro admissio iam non intempestive cogitabitur de illo elogio libri Arabici „Phoron Chaldaeus de animalibus“, ut pro Celidense, qui nusquam gentium extat, reponatur Chaldaeus, Phoron autem s. Phoron iterum mihi evadat Curun. Quid enim? Cyranum intelligo Persam illum, ad quem libri Cyranides referuntur, quorum secundus inscribi solet „de animalibus“, quum omnino in iis de quadrupedum, avium, piscium, herbarum, gemmarum naturis ac virtutibus praecipitur; v. Fabric. Bibl. Gr. I, p. 71 Harl. Ita satis commode in hunc hominem cadere mihi videtur illa naturalium philosophorum descriptio, quam Abulph. p. 60 exhibet (v. not. 13), ut naturarum actiones et passiones rimentur et animam una cum corpore interire opinentur. Liberandus igitur medicus laudatissimus Razes portentosae nescio cuius Pyrrhoniae disciplinae imputatione, et hoc quoque videndum, ne forte hic Mohammedes Zachariae filius, qui obiit a. 932 (Barh. p. 176. Abulphar. p. 191 sq. Gemaledd. ap. Casir. I, p. 262. Abulphed. ann. musul. II, p. 347 sq. Sprengel Gesch. d. Arzneyk. II, p. 390 sqq. Wüstenfeld Ar. Aertzl. 98 p. 40 sqq. Fluegel p. 22 sq.) permutatus sit cum cognomine Mohammede Omari filio philosopho, mortuo a. 1210 (Barh. p. 466. Abulph. p. 298 sq. 317 sq. Gemaledd. ap. Casir. I, p. 181 sq. Abulphed. ann. musul. IV, p. 175 sqq. 239 sq. Herbelot v. Razi p. 116. Fluegel p. 23 sq. Wüstenfeld 200 p. 111 sqq.), quem Abulphar. p. 298 similiter exagitat atque hic alterum, quamquam de posteriori nonnihil vel partium studio vel nominum perturbatione inter se discrepare videntur Arabici scriptores. Sed iam ego vereor, ne hae nugae in campum peregrinum exspatiantis parum placiturae sint viris litterarum Orientalium peritis; idem spero veniam daturus cupido veri vendi.

<sup>49)</sup> Soran. vit. Hippocr. 2 p. 253 ed. Id. Hippocrat. epist. 1—5. Galen. de opt. med. phil. p. 9. Eutyech. ann. I, p. 264. Gemaledd. ap. Casir. I, p. 235. Falso Stobaeus floril. XI, 31 Xerxen dixit pro Artaxerxe.

floruisse monuerat (Casir. I, p. 325), cuius nonnulla verba transcripsit, in reliquis aut pleniore exemplo (Wenr. p. XI), aut propria, ut medicus, eruditione usus. Sed quod Abulph. p. 56 cum Hippocrate physiognomonem coniunxit Philemonem, prope eadem narrans, quae boni auctores Cicero fat. 5. Tusc. IV, 37 et Alexander Aphrodiensis ap. Euseb. praep. evang. VI, 9 de Socrate et Zopyro memoriae prodiderunt, an Gemaleddinum secutus sit, nescio, si secutus est, utrumque videtur decepisse liber pseudepigraphus Aristoteli subiectus, qui ex Arabica in Latinam linguam conversus inscribitur Secretum secretorum,<sup>50)</sup> in quo laudari Philemonem physiognomiae magistrum et de Hippocratis forma referri legimus ap. Fabric. bibl. Gr. III, p. 323 Harl. add. p. 283 sq. Ceterum non diversum puto hunc Philemonem ab illo Polemone (potest enim iisdem utrumque nomen litteris exarari), cuius *φυσιογνωμονικῶν* libri II, licet vix satis integri, supersunt,<sup>51)</sup> quemque eundem esse illum sophistam Laodicenum Hadriano imperante clarum arguit Fr. Passovius Verm. Schr. p. 138, inueneratque declamatorem appellans Albertus Magnus de animal. 8.<sup>52)</sup> —

De Metone et Euctemone (Ar. Ephtimon) ad Artaxerxis Mnemonis regnum relatis quod Abulph. p. 57 ait, ferri inter eorum aetatem et Ptolemaeum amalgesti auctorem intercessisse annos 570, non debet accepisse videri, quod facile quis opinetur,<sup>53)</sup> ab ipso Ptolemaeo, qui magn. constr. III, 2 p. 63 annis ante se 571 solstitium aestivum ab iis observatum tradit, sed, ut ex Abulphedae loco discimus, hist. anteis. p. 157 (ubi Mentor et Euthymus vocantur), a suo Gemaleddino, qui in annorum numero cum Ptolemaeo convenit, in reliquis omnibus, quae verius de Aristyllo et Timocharide dicenda erant, cum Abulpharagio. —

Socratem Barh. p. 33 tertio anno Artaxerxis Longimani natum scribit, in quo paucis annis a veritate discrepat, paucioribus ab Eusebio. Eundem Abulph. p. 58 Arsis Ochi f. tempore floruisse ait et aliquatenus cum Diogene cynico confundit (sanum cum furenti, Aelian. var. hist. XIV, 33).<sup>54)</sup> Nescio tamen an „eius tempore“ floruisse dictus est, qui dicendus fuerat „eo tempore“ (Barh.: „hoc t.“), licet hoc quoque minus accurate, et facta sit Soeratis mentio, quia facienda erat Platonis atque discipulorum. Platonem enim, quem adscito nescio quo doctrinae sectatore Epicuro Barh. p. 33 sub Dario Notho consignaverat, Eusebium secutus, qui anno ante hunc regem retulit natum, Barh. p. 34 sq. iterum et Abulphar. p. 58 ad Arsis regnum relegavit, item successorem Speusippum, et Barh. etiam Aristotelem,

<sup>50)</sup> De quo vid. Fabric. loc. laudand. Wolf biblioth. Hebr. I, p. 222. Jourdain de lat. vers. Aristot. p. 194 ed. Stahr.

<sup>51)</sup> Verumne hoc sit, intelligi poterit, si Graeca Polemonis conferantur cum Arabicis Philemonis, quae msc. extant in bibliotheca universitatis Lugdunensis. Syriacum exemplar apud se extare ait Abulph., quod neglexit Wenrichius p. 297.

<sup>52)</sup> Inscius igitur bis eundem dixit, Philemonem ex Arabico, Polemonem e Graeco versum. Constantinus autem, quem his addit, Adamantius est, qui ad Constantium physiognomonica scripsit.

<sup>53)</sup> Vid. not. 2.

<sup>54)</sup> Eutychnus ann. I, p. 267, commemorato Arsis regno, „eius tempore“, inquit, „floruerunt in urbe Athenarum et Graecorum regione philosophi sapientes, Plato, Censalon [Xenophon], Democritus, Apollonius, et Socrates“. Cfr. not. 21. Idem p. 288 sqq. Platonis et Aristotelis et ficticiorum quorundam philosophorum sententias in funere Alexandri M. pronuntiatas refert. Sed p. 280 cum Aristotelis aetate Diogenem recte coniunxit.

quem Abulph. ultimo Persarum regi Dario adiecit, ita ut apud Barh. p. 35 oratio ad Socratem redeat. Aristoteli apud utrumque adiungitur Theophrastus, quem fratrem Barh., ex fratre nepotem intempesta quadam ac depravata Speusippi recodatione Abulph. dicit. Denique Abulph. p. 61 Aristotelis patrem Nicomachum confundit cum Nicomacho Pythagorico, qui fere quingentis annis post de arithmetica et de musica libros hodie superstites scripsit. Hoc igitur excepto, reliquorum tempora ipse consulto minus quam res spectasse videtur, sed commemorationis tamen ansam quandam dedisse chronicon Eusebianum, in quo sub Arsis regno consignata est mors Speusippi.<sup>55)</sup> In rebus enim quos auctores secutus sit, non patet, puto equidem Gemaleddinum, quamquam in Platonis vita, quam solam conferre potui, nonnulla uterque refert, quae alteri desunt, ita tamen, ut in iis omnibus, quae non sunt errore depravata, mirifice iis cum Diogene Laertio conveniat,<sup>56)</sup> et plenius exemplum (est enim in epitomen redactus Gemaleddini liber,

<sup>55)</sup> Ol. 116, 1 (2) ab Eusebio Menedemus (Arm. Menander) et Speusippus philosophi agnoscuntur, item a Syncello p. 274 d. Non debebat hic locus male habere summum Scaligerum; pro Speusippo enim legendus est Chrysippus. Nam ol. 125, qua natus est Chrysippus, eadem obiit Menedemus. Eusebius autem, quae ad primos Antigoni Gonatae annos pertinebant, ad primos Antigoni avi retulit. Idem vitium tollendum Probo ad Virgil. eclog. VI, 31 p. 351 ed. Lion. ubi male editum est „Speusippus Solaeus et Cleanthes Thasius“ pro „Chrysippus Soleus et Cleanthes Assius“. Cfr. annot. sq.

<sup>56)</sup> Diog. Laert. III, 46 *μαθηταὶ δ' αὐτοῦ Σπεύσιππος Ἀθηναῖος, Ξενοκράτης Χαλκηδόνιος, Ἀριστοτέλης Σταγειρίτης, Φίλιππος [δὲ] Ὀπούντιος, Ἐστιάσιος Περίνθιος, Λίων Συρακόσιος, Ἀμύκλος Ἡρακλειώτης, Ἐραστος καὶ Κόρισκος Σχῆριοι, Τιμόλαος Κυζικηνός, Εὐαίων Ἀμφυρακηνός, Πείθων καὶ Ἡρακλείδης Αἰνιοί, Ἴπποθαλῆς καὶ Κάλλιππος Ἀθηναῖοι, Δημήτριος Ἀμφιπολίτης, Ἡρακλείδης Ποντικός καὶ ἄλλοι πλείους.* Gemaleddinus ex interpretatione Casirii l. p. 302: „Scholae Platonicae sectatores sunt: Speusippus Atheniensis, Platonis ex sorore nepos, Xenocrates Chalcedonius, Aristoteles Stagiritis, Proclus Nithinensis, Philippus Opuntius, Hestiaeus Perinthius, Archytas Tarentinus, Dio Syracusanus, Nicolaus Aristeanus, Coriscus Scepsius, Timolaus Cyzicenus, Euaeon Lampsacenus, Menedemus Eretriensis, Heraclides Aenius, Hippothales et Philo Athenienses, Demetrius Amphipolites, atque alii complures“. Nomina nonnulla valde corrupta emendavit Casirius; sed pro Philone ponendus erat Callippus, cuius nomen etiam facilius ex elementis Arabicis elicitor. Vides autem alterum indicem ex altero posse emendari ac suppleri; nec vero omnia nunc expediam. Proclus est fortasse ille *Προκλῆς* s. *Πατροκλῆς* εἰς τῶν ἐν Ἀζαθμίῃ Ξενοκράτει συσχολεσάντων ap. Plutarch. sympos. V, 3, 3; quamquam in patriae nomine haereo. Cfr. Voss. de hist. Gr. p. 482 ed. Westerm. Philippum Opuntium in Arabicis non inveni, et dubium est, utrum altero loco Casirius ultro adiecerit, an altero imprudens omiserit, contra ac p. 237 in commentariorum Hippocraticorum scriptoribus interpres omiserat Mantiam, non ignobilem medicum Herophileum, de quo vid. Sprengel I, p. 557 sq. Nicolaus Aristeanus homo est nihili, nec patria eius usquam terrarum extat. Arabice legitur Anclas, qui est Amyclus sive, ut ab Aeliano var. hist. III, 19 et Proclo ad Euclid. p. 19 ipsoque Laertio IX, 40 vocatur, Amyclas; Heracleae nomen excidit in Arabicis, et perspicue legitur Erastus. De Menedemo, ne ipse mecum pugnare videar, conferatur Menag. ad Diog. Laert. II, 144. — Hoc igitur similitudinis exemplum esto, alterum afferam discriminis. Ait Abulph. p. 58 Barh. p. 33 enumerare Theonem Alexandrinum triginta tres libros a Platone conscriptos, in his Phaedonem, Timaeum, de legibus, politica; Gemaleddinus l. l., quocum consentire Mahomedem Wenrichius p. 119 docet, ordinem refert scriptorum Platonis secundum Theonem Alexandrinum; quem ordinem, quoniam ab iis, qui de Platonis libris scripserunt, fere neglectum video, age, huc transcribam, adhibitis Casirii Wenrichii et meis emendationibus. Est autem hic: Politica; de legibus; Theages de philosophia; Laches de fortitudine; Aristoteles (immo vero ex emendatione Wenrichii *ἀντιρασταί*) de philosophicis disciplinis; Charmides de temperantia; Hippias (sic Casirius satis probabiliter, Arab. Alcibiades) de pulchro; Euthydemus de vera sapientia; Alcibiades (Ar. corrupte, Cas. et Wenr. Alcyon) libri II; Gorgias; Protagoras; Symposion



Wenr. p. XI) non eadem apud utrumque ratione brevium videatur. Sed quo tempore vixerit Plato, ab illo non est indicatum. Ceterum de Aristotelis vita satis prudenter exposuit Gregorius, Socratis res mire perturbavit. Cfr. Abulphed. hist. anteiscl. p. 155. Sed pergamus ad reliqua. —

Rufum medicum, quem Ioannes Tzetzes chil. VI, 300 cum Sorano apud Cleopatram, rectius Suidas et Eudocia cum Critone sub Traiano floruisse tradunt, Abulph. p. 59 Platoni aequalem facit et ab Aristotele Galenoque refutatum perhibet, plane secutus Gemaleddinum; Wenr. p. 220. De causa erroris non vacat quaerere. — Mox p. 63 Abulph. tempore Alexandri M. floruisse ait Andromachum medicum, qui Mithridatis electuario viperarum carnes addiderit, unde contra earum morsus prosit, praeter ipsius Andromachi fidem, qui in exordio carminis de theriaca illa compositi, quod servavit Galenus de antidot. I, 6 t. XIV p. 32 sqq. ed. Kühn., his verbis Caesarem Neronem alloquitur: *κλῆρι πολυθρονίου βριαρὸν σθένος ἀνιδόσιο, Κάσσαρ, ἀδειμάντου δῶτορ ἐλευθερίας*,<sup>57)</sup> *κλῆρι, Νέρων.* Falsum num forte inde pullulaverit, quod a quopiam ille dictus fuerit post Alexandrum vixisse, quae est apud Arabes satis usitata temporis non sane brevissimi significatio, parum liquet; neque si quid Ebn Abi Osaibea et Gemaleddinus de medico illo tradiderunt, publice quidquam compertum est; certe Eutyrium patriarcham,<sup>58)</sup> qui ann. I, p. 339 aetatem Andromachi

(huius enim vocis altera pars inesse mihi videtur in Arab. „basin“, quum prima fortasse exciderit, quod „nomen“ significare videretur; Casir. Theaetetus posuit, Wenr. Ionem); Phaedon: Criton; Theaetetus (sic recte Wenr., male Cas. Philebus); Politicus; Cratylus; Sophistes (Wenr., Cas. Socrates); Timaeus (?); Parmenides; Phaedrus; Menon; Minos; Hipparchus; Menexenus; Clitophon; Timaeus, libri III (dialogus, Locrus, Critias); de comparationibus (Wenr. proportionibus); de unitate; de intellectu, anima, substantia et accidente; de sensu et delectatione (Philebum putat Wenr.); Mnesistratus (nomen a Casirio positum aegre admittendum, Arabice sine vocalibus Mststs, unde incertum quid eruas); de iuvenum moribus (Wenr. institutione); de geometriae elementis; denique epistolae, quae pariter ac maiores de republica et de legibus libri, quos quodammodo a reliquis separavit, illo trium et triginta librorum numero, qui a Theage incipit, non comprehenduntur. Omisi librum de semine genitili, quem neque inveni apud Casirium, et aliunde Wenrichius adiecit videtur. Ad Theonem quod attinet, minime dubium videtur, quin idem sit Theon Platonicus, cuius de Platonis stirpe sententiam refert Proculus ad Plat. Tim. p. 26. Quem quum pro Theone Smyrnaeo habuerint Bullialdus praef. Th. Sm. p. 8 et Gelderus praef. p. XIII, reminiscens nonnullos et a Graecis et ab Arabibus non tam patriae quam studiorum ratione habita dictos Alexandrinos, Platonis vitarum, quas Graece Laertius, Latine Apuleius, Arabice Gemaleddinus et Gregorius scripserunt, quarum est omnium singularis quaedam inter se similitudo, communem auctorem agnovisse non sine laetitia parumper mihi videbar; praesertim quum de Platonis genere, quam sententiam Theonis Proculus commemorat, ea plane consentiat cum iis, quae a Diogene Laertio III, I sine controversia referuntur. Sed, diligentius iam expensis argumentis, probabilius videtur, hic quidem in Arabum acquiescere auctoritate, et Theonem illum Alexandrinum, Hypatiae, praestantissimae mulieris, patrem, quum aliis scriptis mathematicis tum opera in Euclidis et Ptolemaei libris edendis atque illustrandis posita exeunte saeculo IV clarum, existimare ad Platonis quoque et libros recensendos et vitam scribendam, quae ab illius temporis mathematicis minime aliena erat provincia, incubuisse, in eoque negotio copias a Diogene congestas non sprevisse. Nam et Diogenes, si Theonis opere usus fuisset, ordinem librorum huic probatum silentio non praeteriisset, aut certe minus obscure significasset, quam III, 62, si quod ibi tenuissimum eius vestigium extat, et Proculus l. I. praemissa Iamblichi mentione hoc quidem Theonem facere videtur recentiorum.

<sup>57)</sup> Vides primum archiatrum Neronis fuisse libertum. — De ipsius Mithridatis inventis quae Gemaledd. non indicata aetate tradiderat, medicum dicens et sapientem, relata sunt ab Abulpheda hist. anteiscl. p. 157 et repetita ex iis, quae Galenus scripsit de antidot. I, 1 p. 2 K.

<sup>58)</sup> Vid. not. 21.

recte indicavit, aut ignorasse videtur aut quodam sectae studio etiam consulto neglexisse; ab Andromachio autem eo, qui Timaei historici pater fuit et Tauromenium in Sicilia condidit (Diodor. XVI, 7. 68. Plutarch. Timol. 10), repetere erroris originem, vereor ne hac quidem in causa sit nimis reconditum, nec eius in Graecorum chronicis memoriam me reperire memini.<sup>59)</sup> — Sed, commemorato Ptolemaeo Philadelpho, quod huius tempore ait Abulph. p. 64 floruisse Timocharin astronomum et in libro Almagesti Ptolemaeum hunc se praecessisse dicere 420 annis, non adversatur quidem iis, quae Ptolemaeus VI, 3 p. 169 sq. et X, 4 p. 242 exposuit, sed 420 annorum numerum, quot sunt a primo Philadelphi anno ad primum Antonini, non ab hoc, sed a Gemaleddino assumpsit; vid. Abulphed. hist. anteis. p. 155. — Sub Ptolemaeo Lathuro, quem cum Eusebio appellat Physconem, Abulphar. p. 67 scribit floruisse Dioscoridem rei herbariae scriptorem Anazarbenum, quem sub Nerone vixisse hodie plerique omnes existimant, confusionis accusantes Suidam eiusque quasi pedisequam Eudociam, quod Anazarbenum dixerunt Dioscoridem medicum cognomine Phacam cum Cleopatra et Antonio viventem (cfr. Caes. bell. civ. III, 109), nescio tamen an parum convincentes. Gemaleddinus, cuius verba a Casirio I, p. 283 relata Gregorius tantum non omnia repetit, de aetate Dioscoridis non tradit nisi universe, floruisse eum post Hippocratem, laudari a Galeno, ut nihil aliud quam lecturam suppeditarent. Continuo enim addit, proditum esse in Almagesto, inter duas Hipparchi et Ptolemaei observationes aequinoctii verni intercessisse annos ducentos octoginta quinque; atque hoc indicio esse, contemporaneum fuisse ipsum Dioscoridi.<sup>60)</sup> Locus Ptolemaei est magn. constr. III, 2 p. 62, ubi illud aequinoctium ait ab Hipparcho observatum anno 178 post mortem Alexandri M., a se anno 463, Antonini tertio. Incidit igitur Hipparchi observatio in ol. 158, 3, qui fuit primus Physconis non illius a Gregorio perperam nominati, sed Energetae II post Philometorem regnantis. Atqui hoc regnante floruit Nicander Colophonius poeta, cuius hodie supersunt theriaca et alexipharmaca; quibus nominibus inscripti libri feruntur Dioscoridi subiecti nec ignoti Arabibus fuerunt. Itaque fieri potuit, ut nescio quis, permutatis cognominum librorum auctoribus, cum alterius nomine alterius coniungeret aetatem; quamquam non dissimulo, neque Nicandri apud Arabes, nec alteriusutrius apud chronographos, quorum illi auctoritate uti solent, ullam me invenisse mentionem; neque pugnaverim, si quis a Cleopatris, altera Physconis, altera Antonii uxore, aetatum confusionem repetere malit. Ceterum ad Hipparchum quod attinet, anni illi 285, quos Abulpheda quoque refert, hist. anteis. p. 157, a Gemaleddino ap. Casir. I, p. 346 non commemorantur, qui post Metonem et Euctemonem astronomos trecentis circiter annis eum claruisse narrat, corrotundato illo numero et summatim comprehenso, quod Hipparchus tradiderat solstitium aestivum ab Aristarcho observatum post Metonem et Euctemonem annis 152, et a se deprehensum iterum post Aristarchum annis 145; vid. Ptolem. magn. constr. III, 2 p. 63. Sed in Ptolemaei vita ap. Cas. I, p. 348 post Hipparchi tempora 280 annis hunc claruisse scripsit. Itaque hic quoque dubium, an curtato Gemaleddini exemplo usus sit Casirius; reliqua enim, quae de Hipparcho Abulpharagius verba facit, apparet e Gemaleddinianis esse contracta. —

<sup>59)</sup> Add. Harles. ad Fabric. bibl. Gr. IV, p. 358.

<sup>60)</sup> Pervertit Bauerus I, p. 96.

Sub finem regni Ptolemaeorum Abulphar. p. 68 floruisse scribit Photinum (Ar. Photon al. Koton) philosophum arithmeticae et geometriae eximie peritum, hunc scripsisse librum arithmeticum ad Cleopatram reginam, quae et ipsa docta fuerit et in variis litterarum generibus libros composuerit; cui qui tribuatur canon compendiosus luculentus atque perspicuus, eum dici a Photino in eius gratiam conscriptum ab eaque sibi arrogatum. „Deus optime novit“, cum ipso dicere licet Abulpharagio; neque enim illum in ultimi Ptolemaei aula multum valentem eunuchum, quo auctore et Pompeius interfectus est et bellum contra Caesarem susceptum, Photinum sive potius Pothinum, cuius mentionem faciunt Plutarchus, Appianus, Dio, Caesar, Lucanus, alii, vel doctum vel scriptorem fuisse usquam me legere memini, licet ipsa res ab istius aulae moribus minime abhorreat; et confusum esse cum Conone vel alio quo mathematico, nimis lubrica coniectura est. Illud vero non praetereundum, in Labbei Nova Bibliotheca mss. librorum inveniri codicum elogia, quibus Abulpharagii verba mire confirmantur; in libris Arabicis exhibetur p. 256 „Phaton de Arithmetica“, p. 257 „Cleopatra de Astrolabio“ et idem liber Persice, p. 258 „Canones Cleopatrae“ Arabice. — <sup>61)</sup>

Longinum, philosophum Romanum, quem de magorum ad Christum recens natum adventu ad Augustum imperatorem litteras dedisse scribit Barh. p. 47 Abulph. p. 70, <sup>62)</sup> permittamus fabulis Christianis. — De Philone et Iosepho legatis ad Caium Caesarem missis quae narrat Barh. p. 50 Abulph. p. 73, nata sunt ex confusione legationis a Philone administratae cum iis, quae ad annum Abr. 2505 (Arm. 2506) Eusebius scripsit. — Rursus narratiunculam in Domitiani historia relatam a Barh. p. 53 Abulph. p. 75 de Patrophilo philosopho ad Christianismum converso, quod a magistro Arsinoo s. Arsenio perconctatus, quid impulerit Theodosium s. Dionysium s. Theodorum philosophorum Athenis principem et Africanum Alexandrinum et Martianum s. Martinum Badivensem, ut virum crucifixum adorarent, deorum decreto id factum audisset, eam igitur ad fabulas sacras amandamus, quos auctores secutus sit scriptor et numquid ipse peccaverit aliis earum rerum curiosis atque peritis expiscandum relinquentes. Pars eorum nominum in controversiis Arianis occurrit. — Apollonium Tyanensem quod iisdem locis ad Domitiani imperium retulit, factum est convenienter Eusebio, cui accedit Dio Cassius LXXVII, 18. — <sup>63)</sup>

Omissis ecclesiasticis haereticisque viris venio ad Galenum. Hunc Barh. p. 53 anno decimo Traiani natum scribit, p. 54 praeceptorem fuisse Ptolemaei astronomi sub Hadriano viventis. Recte utrumque omissum est ab Abulpharagio, qui p. 77 sq. sub imperatore Antonino Pio eadem fere de summo medico retulit, quae sub eodem Barh. p. 55 sq. tradiderat. Id quoque omisit Abulph., quod Barh. p. 55 ait, colligi ab ascensu Domini Nostri usque ad mortem Galeni secundum accuratam scriptorum sententiam a. 160;

<sup>61)</sup> De aliis Cleopatrae scriptis subditiciis fere omnibus vid. Wolf. *mul. Graec.* p. 316 sqq. Phaethon scriptor, quem de fluminis Bosporani frigore tradidisse refert Sotion de flum. 35, neque cognitus est aliunde, neque hanc in partem vocandus videtur.

<sup>62)</sup> Autognius ap. Abulph. scribitur corrupte; facilem admittunt elementa Arabica emendationem. Ceterum vellem de hoc Longino boni auctores prodidissent, qui illum de sublimitate libellum Augusti temporibus scriptum esse plane persuasum habeo.

<sup>63)</sup> Cfr. Chron. Pasch. p. 250 b. Cedren. p. 246. Malal. X, p. 342, apud quem quod commemoratur *τέλεσμα τὸ τῶν πελαργῶν*, videtur inservire posse illustrando apud Barh. obscuro Apollonii cognomini Syriaco, quod Phylaram Brunsius, *Πελοργίων* Kirschius expressit. Telesmaticum vocavit Abulph.

hoc tantum cautius indicat, ad initium Antonini (i. e. revera Marci, sed de Pio cogitare videtur), quo primum Romam Galenus venerit, ab ascensu Christi annos esse ultra centum. Sed obiisse in Sicilia annos 88 natus in utroque libro traditur; itaque quum anno 19 Tiberii Christum in coelum ascendisse referat Barh. p. 49 Abulph. p. 72, annos autem Barh. tribuat Tiberio 23, Caio 4, Claudio 14, Neroni 14, Vespasiano 10, Tito 2, Domitiano 16, Nervae 1, plane consentiens cum Eusebio, a quo discrepat Abulpharagius, quod annum Tiberio demtum Claudio adiecit; subducta ratione apparet, annum natalem Galeni dicendum fuisse septimum Traiani, non decimum, quo anno Abulphar., assentiente Eusebio, narrat evenisse Christianorum persecutionem, a Barh. sine anno commemoratam. Octogenario maiorem obiisse etiam Gemaleddinus tradit ap. Casir. I, p. 253, qui in scriptorum discrepantia sequi se ait Obaidallam Gabrielis f. Bochtiesu n.<sup>64</sup>) Sed ultra annos septuaginta, quem numerum Suidas tradit *v. Γαληνός*, illum vixisse neque Graecorum quisquam scriptum reliquit, et unde Arabum magistri suas opiniones confinxerint, perspicere mihi videor. Ait enim Galenus (de anat. administr. I, 1. de libr. propr. I), primum se Romam venisse anno aetatis 34 paullo postquam Antoninus auspiciatus esset imperium, *ἀρχεῖν ἡγεμένου Ἀντωνίνου*. Hunc Antoninum, qui erat M. Aurelius, pro Antonino Pio illi habuerunt, quo imperium ineunte si annum 34 egisse putabatur, quem ante hunc Traiani essent anni 19, Hadriani 22, natum videri oportebat anno Traiani septimo. Dehinc si Traiani et Hadriani annis anni adiciuntur secundum ipsius Gregorii chronica Antonini Pii 22, M. Aurelii 19, Commodi 13, Pertinacis menses sex, annus primus Septimii Severi, quem novissimum imperatorem in libris suis Galenus commemorat (nam liber de theriaca ad Pisonem recte ab hoc videtur ab iudicari), huic erit annus aetatis octogesimus octavus.<sup>65</sup>) Eadem Antonini mentione utitur etiam ad refutandas eorum ineptias, qui Christi tempore Galenum vixisse perhiberent.<sup>66</sup>) Praeceptorem Galeni, aliis non paucis neglectis, unum appellat Aelianum, qui est commemoratus in libro de theriaca ad Pamphilianum t. V, p. 299 K., (de cuius auctoritate non satis constat), et ex Italo fecit Antiochenum. Reliqua omittamus. Denique cum Gemaleddino ap. Casir. I, p. 253 sqq. eadem hic ratio ei intercedit, atque in iis, quae de Hippocrate apud utrumque reperiuntur. — <sup>67</sup>)

<sup>64</sup>) De quo vid. Wüstenfeld. Arab. Aertz. 33 p. 17.

<sup>65</sup>) Itaque videtur Arabicos auctores secutus esse Gualtherus Burlaeus, quum in libro de vita et moribus philosophorum (de quo cfr. Schneider. in Wolfii Litter. Anal. II, p. 208 sqq.), annos 87 Galenum vixisse scripsit. Neque cum Suida pugnat Tzetzes chil. XII, 7: *ἐν χρόνους Ἀντωνίνου δὲ ἤματις Καρνεύλου*; dumne verbum *ἡματις* prematur. Nam si anno 131 p. Ch. natus est Galenus, ut probabiliter ostendit Ackermannus in Fabric. bibl. Gr. V, p. 380 Harl., septuagenarius obiit post annum tertium, quam Severus imperator filium Bassianum, qui dictus est Caracallus, Antoninum appellavit et tribuniciae potestatis consortem fecit.

<sup>66</sup>) In his refutandis desudarunt etiam Tzetzes chil. XII, 18 sqq. et Glycas annal. p. 231, a quo docemur, eo persersitatis eos processisse, ut cum Magdalena de caeco nato a Iesu Christo sanato confabulantem facerent. Per eandem occasionem Gregorius atque Gemaleddinus afferunt honorificentissimam Christianorum mentionem a Galeno factam (sane praeter morem, cfr. de diff. puls. II, 3. 4) in commentario in Platonis sive rempublicam, ut ait Gem., sive, ut alter, Phaedonem. Quem commentarium ne in supposititiis quidem Ackermannus enumeravit.

<sup>67</sup>) Praetermissum ab Eusebio Galenum Syncellus prudenter ad annum quartum M. Aurelii retulit. Euty chius ann. I, p. 364 sub Commodio imperatore de eo mentionem fecit propter duos, quos laudat. Galeni locos, alterum de libr. propr. 2 t. XIX p. 19 K. (cfr. de praenot. ad Epig. 9. 12. t. XIV p. 650. 661 sqq.), alterum de Perenne

De Claudii Ptolemaei aetate et quattuor scriptis praecipuis quae attulit brevissime Barh. p. 56 Abulph. p. 78, et vera sunt et ita comparata, ut ab homine mathematicae et astrologiae scientia imbuto non possent ignorari. De astronomicis Ptolemaei inventis eadem cum tradidisse, quae Mohammedes Isaaci f., litterarum scriptor saec. IX clarus,<sup>68)</sup> docemur a Gemaleddino, qui de Ptolemaeo et interpretibus eius paullo uberius disseruit ap. Casir. I, p. 348 sq. — <sup>69)</sup> „Ex eo quod mentio facta sit Theonis mathematici Alexandrini in Almagesto, et memoretur Ptolemaeus in Canone, probatur illos contemporaneos fuisse;“ verba sunt Abulpharagii p. 78. Patet causa erroris. Refert enim Ptolemaeus in *μεγάλη συντάξει* quattuor apheliorum observationes, unam Mercurii factam anno 14 Hadriani (IX, 9 p. 234), tres Veneris factas eiusdem imperatoris annis 12, 13, 16 (X, 1. 2. p. 239), traditasque sibi a quodam Theone, fortasse decessore suo, quem pro Theone Smyrnaeo eodem, cuius hodie supersunt libri *τῶν κατὰ μαθηματικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν*, plerique omnes cum Bullialdo, nescio quam recte, habent. Hunc Ptolemaeo fere aequalem non unus hic scriptor confudit cum homine eiusdem et nominis et professionis et fortasse etiam urbis, qui post annos circiter ducentos in Ptolemaei libros commentaria scripsit. Videtur autem secutus esse Gemaleddinum, et hic Mohammedem; video enim ap. Wenr. p. 297 ab his plane eosdem Theoni libros tribui, qui a Gregorio, ab his, quos Suidas et Eudocia nominant, paullum differentes. Barhebraeus Abulpharagio etiam copiosior est una annotatione, qua de Theonis Canone exposuit. — <sup>70)</sup> Horum aetati adiunxit Alexandrum Aphrodisiensem, cuius et commentarios laudibus effert et habitas cum Galeno, quem ab eo nudi caput vocatum narrat, disputationes commemorat, per omnia, et pressius in Syriaco exemplo, secutus Gemaleddinum ap. Casir. I, p. 243. Ab his ipsis disputationibus aetatem Alexandri definisse videntur et Aphrodisiensem permutasse cum eiusdem et nominis et sectae philosopho Damasceno, quocum se contendisse narrat Galenus de praenot. ad Epig. 5 t. XIV, p. 627 sq. de anat. administr. I, 1 t. II, p. 218; quemque proxime ante Aphrodi-

a Commodi insidiis servorum constantia servato, quem locum in „sermone primo libri qui de animi moribus inscribitur“ non potui invenire. Idem p. 367 eodem tempore floruisse narrat Democratem sapientem, qui utrum sit medicus a Plinio et Galeno laudatus, de quo vid. Kühn. additam. ad elench. med. Fabric. V (in Oriente enim etiam hodie medici vulgo sapientes appellantur, quemadmodum apud nos doctores), an gnomologus ille, Democriti umbra, qui iam nullus esse coepit (v. Mullach. Democrit. p. 164), an alius quis, non magis notum habeo, quam quis fuerit Traiani tempore „philosophus quidam e Romanorum magnatibus, nomine Commodus“, ab eodem scriptore commemoratus p. 351.

<sup>68)</sup> Vid. not. 45.

<sup>69)</sup> De Ptolemaei et Galeni aetate comparata satis prudenter exposuit Abulpheda hist. anteisl. p. 157.

<sup>70)</sup> Suid. et Eudoc. *ἔγραψε μαθηματικά, ἀριθμητικά, περὶ σημείων καὶ σκοπῆς ὀργάνων καὶ τῆς τῶν κοράων φωνῆς, περὶ τῆς τοῦ κωνοῦ ἐπιτολῆς, περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως, εἰς τὸν Πτολεμαίου πρόχειρον κανόνα καὶ εἰς τὸν μικρὸν ἀστρολάβον ἐπίγραμμα.* Arabes haec quattuor exhibent, introductionem in Almagestum, de usu astrolabii, de usu sphaerae armillaris, fastos tabulae astronomicae Ptolemaei, quae Canonis nomine insignitur. Sic Wenr. l. I. qui concinnius elogia expressit quam interpretes Gregorii, a quo Canonis nomine ipse Theonis liber insignitur. Cfr. Labbe. p. 257-258. Eo in libro, ut ait Barh., „exposuit rationem, secundum quam mutatio punctorum tropicorum computanda est, siquidem per intervallum 80 annorum unum gradum (*μοίραν*) usque ad gradus octo progrediuntur et deinde revertuntur: quod quidem Ptolemaeo non ita visum est, quia absque subsidio hoc computi revolutionum coelestium explentur, scilicet ope instrumentorum observationibus inservientium.“ In libro ab Halima edito numquid tale legatur, me fugit.

siensem scholae Atheniensi praefuisse sententia est Zumptii ubi d. Bestand d. philos. Schul. in Ath. p. 73 sq. Sed quum Aphrodiensis librum *περὶ εἰμαρμένης καὶ τοῦ ἔργου ἡμῶν* ad imperatores Severum et Antoninum scripsit i. e. inter 198 et 211 p. Ch., eorum beneficio professoris munus nuper adeptus, quo in munere commentarios suos in Aristotelis libros conscripsisse videtur, si minus decertare disputandi contentione, at certe aetatem agere adolescens cum sene Galeno potuit. Bis etiam citavit Galenum, ad soph. elench. p. 8 h., ad top. p. 262; quorum alterum locum inspicere non potui in scholiis Brandisianis omissum. — 71)

Ii sunt, quos T. Antonini tempore doctrinae laude floruisse Gregorius scripsit. 72) Eis Barh. p. 54 sub Hadriani imperio interposuit Secundum philosophum, de quo brevissime eadem narrat, quae in

71) Abulphed. hist. anteisl. p. 155 de Alexandri pariter ac de Proculi philosophorum aetate hoc tantum ait, fuisse Aristotele recentiores. Sed quoniam de clarissimo Aristotelis interprete hic sermo est, alii cuidam ad eam nominis Graecitatem reddere liceat. Quis enim novit illum Macidorum, cuius in Aristotelis de generatione et corruptione, de meteoris, de anima libros commentarii a Mohammede Isaaci f. et Gemaleddino commemorari dicuntur, Cas. I, p. 245. 305. Wehr. p. 294? Mecodorum p. 305 dixit, Metrodorum esse ratur, Casirius, cui fidem habere noli. Deleto enim uno puncto diacritico, ut gutturalis littera fiat labialis, (v. not. 48, ut Chabrias Cas. I. l. mutandus est in Probum Wehr. p. 131) et ad ipsum nomen assumpta articuli Arabici syllaba al sive ol, quae, nisi mea me fallunt adversaria, in Arabicis exemplis non est omissa, evadet Olympiodorus, cuius in Aristotelis meteorologica commentarii etiam Graece hodie supersunt. Qui vero sit Maxirates, cuius commentarios in Aristotelis libros extare Arabice versos auctore Gemaleddino scribit Abulphed. p. 157, non magis expedit, quam qui Leslon, quem doctorem Graecum ibidem ait, quod philosophiam Platoniam doceret et defenderet, zelotae cognomen nactum. Sed non sine socio nobis abibit Olympiodorus. Alterum locum in Gemaleddini indice librorum Aristoteliorum hoc modo interpretatus est Cas. I p. 308: „Aristotelis epistolae, quas in VIII libros contulit vir quidam nomine Aretas“. In Arabicis est Arta, sequitur syllaba man, quae male divulsa cum illo coniungenda est, et restituendum nomen Artemon sine ulla dubitatione. Etenim David, Syriani discipulus, in prolegomenis ad Aristotelis categorias p. 24 schol. Brandis. (Neumann, Mémoire sur David p. 56) de partitione disserens librorum Aristotelis, *αὶ γὰρ ἐπιστολαί*, inquit, *πρὸς ἕνα εἰς γειραμμένα, ἐς ἐν ὅτῳ βίβλος ἀνήγαγεν Ἀρτέμων τις μετὰ Ἀριστοτέλην γενόμενος*. Et idem est *Ἀρτέμων ὁ τὰς Ἀριστοτέλους ἀναγράφας-ἐπιστολὰς* ap. Demetr. de elocut. 223; de quo cfr. Schoell. hist. litt. Gr. II, p. 185 German., Stahr Aristotelia I, p. 206. Walz. prolegg. ad rhet. Gr. vol. IX, p. V.

72) Sub M. Aurelio Eutychius I, p. 360 in Graecia floruisse ait Magnium sapientem; qui dubito an sit Magnus medicus (v. n. 67) Emesenus, cuius quum alios tum de urinis libros extitisse tradunt Abulphed. hist. anteisl. p. 157. Actuar. de urin. I, 2, 2. Theophil. de ur. proem. 5. 9, 2. Cfr. Fabric. bibl. Gr. XII p. 650. Kuehn additam. ad elench. medic. Fabric. XVIII p. 7 sq. Vixisse videtur inter Galenum et Alexandrum Trallianum, quamquam e discipulis Hippocratis fuisse dicitur a Gemaleddino ap. Abulphed. l. l. et fortasse exeunte saeculo IV, si quidem in iatrosophistam, quem Theophilus dicit, satis conveniunt, quae de Magno medico Alexandriae artem docente narrant Eunapius vit. soph. p. 102 sq. Boiss. et Libanius epist. 1178; nam quod Nisibi natum Eunapius ait, non debet esse impedimento reputantibus, quae de oppido illo, quum Persis a Ioviano traderetur, ab incolis relicto leguntur ap. Ammian. Marcell. XXV, 9. Zosim. III, 34. Quem vero Lucillius epigr. 124 Magnum medicum laudat, neque hic esse potest, nec ille, qui ab auctore libri de theriaca ad Pisonem t. XIV p. 261 vocatur *Μέγνος ὁ κατ' ἡμᾶς* (Severo et Caracallo imperatoribus) *ἀρχαιεπὸς γενόμενος*, sed antiquior quidam ex iis, qui praeterea apud Galenum citantur. Proxime ante huius memoriam eodem auctore haec refert Abulpheda: „Myrtos vel Myristos, doctor Graecus matheseos peritus et inventionis plurimae, qui scripsit librum de instrumento illo musico quod organum appellatur. Sonus eius vel e sexaginta milliariis interstitio auditur.“ In mentem venit eorum, quae de Archimedis invento dixit Tertullianus, de anima 14; sed meliora edoceri cupio ab historiae musicae peritis.

Graeca eius vita ἀδεσπότης fusius explicantur. — De Iulio Africano chronographo Heliogabali tempore condendae Nicopoli, quae fuit Emmaus, praefecto Barh. p. 57, Abulph. p. 79 sq. consentit cum Eusebii chronico a. 2237, chron. Pasch. p. 267 d.; eundem Abulph. p. 80 scribit sub Gordiano composuisse libros multos de temporibus et rebus gestis regum et philosophorum, i. e. *χρονογραφίαν*, quod dubito an praeter hunc nullus, eorum quidem, quorum libri editi sunt, auctor memoriae prodiderit; Syncellus, qui p. 355 b. florem Africani iam sub Septimio Severo consignavit, chronica eius in Gratum Sabinianum et Seleucum cons. i. e. Heliogabali annum quartum desiisse tradit p. 212 b., idem imperante Alexandro deductam Nicopolin et conscriptos ab Africano *ξεστόδης* refert p. 359 b. 7<sup>3</sup>)

Iam apud Barhebraeum finem habent litterarum Graecarum annales, nisi quod in Iuliani rebus Libanii, in Ioviani Themistii mentio obiter facta est p. 65 et 66. Nec ultra perrexerat Eusebius, quod moneam, licet exceptis Philone et Iosepho Iudaeis et Apollonio et Africano, hominibus ad Christianorum res quodammodo pertinentibus, (ecclesiasticos enim et haereticos hic non moramur,) prorsus alios scriptores episcopus Caesareensis, alios hic maphrianus inde a Christo nato in annales suos retulerit. 7<sup>4</sup>) Neque vero hic substitit etiam Abulpharagius, qui iam solus nobis censendus est. Is igitur, omisso Plotino, cuius a Gemaleddino mentionem factam cognoscimus ex Abulphed. hist. anteisl. p. 155, sub imperio Diocletiani clarum fuisse ait Porphyrium, de quo eadem et prope iisdem verbis tradit, quae Gemaleddinus ap. Casir. I, p. 185, 7<sup>5</sup>) nisi quod temporis nulla apud hunc extat notatio, ut dubium sit, quum Abulpheda l. l., eundem se auctorem sequi professus, Galeno recentiorem dicat, id an ipse de suo addiderit. Ceterum hoc tribuimus Gregorii doctrinae, qui ipse Isagogen in linguam Arabicam con-

7<sup>3</sup>) In Cestis quum Africanus etiam de re rustica scripsisset, unde nonnulla in Geoponicorum congeriem translata sunt, videndum, ne hinc natum sit nomen Costi scriptoris, cuius de agricultura libri e Graeco versi apud Persas et Arabes feruntur. Wenr. p. 291 sq.

7<sup>4</sup>) Galenum sibi proprium habet Syncellus. Eusebium autem in hac canonis parte aliam sequi viros doctos commemorandi rationem, atque in superiori, iam antea diximus, v. n. 31. Praeter Iudaeos scriptores, Philonem, Iosephum, Iustum, et Christianos vel ecclesiae vel haeresium principes ac magistros duos tantum commemoravit sophistas, Favorinum et Polemonem (2148), duos poetas, Mesomedem (2160) et Oppianum (2186), reliquos omnes philosophos, Sextum Pythagoricum (2017), Athenodorum Tarsensem (2023), Sotionem Alexandrinum (2029), Musonium (2081), Plutarchum (2081. 2135), Apollonium Tyanensem (2110), Euphratem Stoicum (2110. 2136), Sextum Chaeronensem, 2135), Agathobulum, Oenomaum (2135), Arrianum Nicomediensem, Maximum Tyrium, Apollonium Chalcedonium, Basilidem Scythopolitanum (2164), Crescentem cynicum (2168), Atticum Platonium (2192), quibus fortasse addendus est Pantaenus Stoicus Christianus (2209). Quae philosophorum eminentia quaeritur an philosopho debeatur Porphyrio, cuius annalibus a Troiae excidio ad Claudii (i. e. Gothici, ut Niebhrio quoque visum, kl. hist. u. philol. Schr. I, p. 189) deductis usum se esse Eusebius profitetur, chron. I, p. 359 Auch.

7<sup>5</sup>) Scripsit, si Pocockio et Casirio et Bauero interpretibus credendum, duos libros ad Libanium; sed in elementis Arabicis leviter corruptis non Libanii latere nomen, sed Anebonis, optime docuit Wenrichius p. 283. Libros duos dixisse videntur epistolam Porphyrii et responzionem Iamblichi. Sed liber responzionis ad Lemachium (Lemachum Bauer., Pammachium Cas., Pammachum Wenr.) de intellectu et intelligibili, novem tractatibus constans, vereor ne sit *περί ιδεών προς Λογγίνον*, vit. Plot. 20.

vertisse dicitur (Asseman. II, p. 269), ut, quando vixerit Porphyrius, etiam tacente Gemaleddino, ipse potuerit recte definire.

Venio nunc ad eum locum, qui mihi universae huius commentationis quasi causa et origo fuit. Etenim quum ante complures annos omnibus rebus minus quam otio abundans, cuius nunc nimis magna saepe penuria est, ad Laertianas quaestiones totus incumberem, ut in eo historiae genere, quod temporum et annorum investigatione continetur, non raro ab incertis ad incertiora reiecti longo ad id, quod petitur, anfractu contendimus, me quoque Laertii tempus exigentem ad Nicomachum, inde ad Diophantum quaestio deduxit. Quem quum ad Iuliani imperium a plerisque relatum mirarer, ipse satis antiquum esse ratus, quaerens, qua commoti auctoritate ita illi de eius aetate statuissent, in Abulpharagium incidi. Fastidiebam, quippe antiquitatis studiosus, hominis saeculum et barbariam, horrebam, quae contra historiam commissa ab eo viderem; sed quum hic unus de Diophanti aetate scriptum reliquisset; eiusque sententia non solum Saxios, Montuclas, Harlesios nacta esset assectatores, sed etiam propugnatores Ottonem Schulzium et nuper accuratissimae doctrinae virum Nesselmannum, etsi ne hi quidem de ista principis arithmeti corum novitate plane mihi persuaderent, tamen vel ad horum sententiam oppugnandam de illius fide et auctoritate paullo diligentius quaerere non inutile videbatur. Quod quam probabiliter factum a nobis sit, penes alios iudicium esto; iam quidem de Diophanto quae commentati sumus, recognoscenda alteri harum lectionum, si quando edetur, fasciculo reservamus; de reliquis, quos eodem in capite Abulpharagius commemoravit, tum propter hanc, quam diximus, commentationis nostrae originem, tum vero etiam, quod aliquatenus oblitterata eorum memoria est, lucubratiunculas nostras paullo copiosius exponere liceat. Sed ordine rem agamus.

Abulpharagius igitur, postquam de Iuliani rebus dixit, p. 88: „Fuit Iuliano isti“, inquit, „scriba nomine Themistius, philosophus saeculo suo celebris, qui multos Aristotelis libros enarravit, librumque Iuliano composuit de regimine et gubernatione regnorum, nec non epistolam, quae abstinendum probat a persecutione Christianorum; in qua ait, Deo omnipotenti gratum esse, ut diversimode colatur, esseque philosophos divisos in trecentas sectas: persuaseruntque verba eius ut a noxam iis inferendo abstineret, adeo ut [ab eo] disisteret.“ In his quem secutus sit auctorem, Gemaleddinum an alium, non liquet; sed vera falsis mixta apparet. Nam apud Iulianum scribae munere functum Themistium quod dicit, novum certe est, quem Constantius a. 335 in senatum legisset. Neque, si forte notarium vel magistrum scribitorum significare voluit, quorum alter βασιλικὸς ὑπογραφεύς, alter ἀνιγραφεύς a Graecis vocabatur (vid. Gothofred. ad Cod. Theodos. VI, 10, I. VII, 11, I. Herbelot. v. cateb.), Themistium eiusmodi magistratum habuisse nobis aliunde compertum. De libro, qui fuerit de regimine et gubernatione regnorum, non magis habeo quod dicam, nisi fuit illa epistola, ad quam imperii initio sibi scriptam respondet Iulianus p. 254 ed. Spanh., ubi pauca praefatus, σὲ δὲ μοι νῦν, inquit, μεῖζον ἐποίησας διὰ τῆς ἐναγχοῦ ἐπιστολῆς τὸ δέος καὶ τὸν ἀγῶνα τῷ παντὶ χαλεπώτερον ἔδειξας, ἐν ταύτῃ παρὰ τοῦ Θεοῦ τετάχθαι με τῇ μερίδι λέγων, ἐν ἧ πρότερον Ἡρακλῆς καὶ Λιόνσος ἐγενέσθην, φιλοσοφοῦντες ὁμοῦ καὶ βασιλεύοντες καὶ πᾶσαν σχεδὸν τῆς ἐπιπολαζούσης κακίας ἀνακαταρρόμενοι γῆν τε καὶ θάλασσαν. κελείεις δὲ πᾶσαν αποσεισάμενον σχολῆς ἔννοιαν καὶ ἡρασιώνην σκοπεῖν ὅπως τῆς ὑποθέσεως ἀξίως ὁγωνιούμεθα. εἶτα ἐπ' αὐτοῖς τῶν νομοθεσιῶν ἀπάντων μέμνησαι, Σόλωνος, Πιπτακοῦ, Ἀνκούργου, καὶ



τούτων ἀπάντων μείζονα χοῦναι παρ' ἡμῶν λέγεις τοὺς ἀνθρώπους ἐν δίκῃ νῦν περιμένειν. Ipsa illa epistola in deperditis est. Quod autem monitu Themistii Julianum a persecendis Christianis destitisse ait, falsum est. Fuit enim ea Themistii dissuasio ad Valentem imperatorem Arianæ sectae studio Catholicos vexantem, ut recte monuit Bauerus I, p. 278 et disertè docent loci Socratis hist. eccl. IV, 32 et Sozomeni hist. eccl. VI, 36. Quae sive oratio sive epistola item interiit.<sup>76)</sup> Utrum vero ipse Abulph. erraverit, an secutus sit errorem alterius, non magis patet, quam ipsi Syri legerint illa Themistii scripta, an ab ecclesiasticae historiae scriptoribus memoriam acceperint. In Aristotelis libros commentarii Themistiani non raro apud Arabes laudantur.

Themistio Nicolaum adiunxit, Aristotelio Aristotelium, enarratori enarratorem, paraphraetae paraphrasten: „E philosophis etiam“, inquit, „qui prope haec tempora floruerunt, fuit Nicolaus philosophiae scientia praecellens. E libris ab ipso compositis est liber de summa philosophiae Aristotelicae, cuius apud nos est exemplar Syriacum ex versione Honain Ebn Isaac; nec non liber de plantis, et liber responsionis ad illos qui rem unam esse statuunt intellectum et intelligibilia. Inquit Ebn Batlan,<sup>77)</sup> Laodiceam habuit patriam, atque in ea natus est.“ E Gemaleddini copiis haec esse fere ad verbum desumpta, Nicolaum hunc esse illum Damascenum, Augusti tempore clarum, librum de plantis esse eundem, qui sub Aristotelis nomine fertur, egregie docuit, nobisque ne multis dicendum sit effecit E. H. F. Meyerus in praefatione ad Nicolai Damasceni de plantis libros duos a. 1841 a se Lipsiae editos, praecipue p. XVIII sqq. Aetatis definitio apud Gemaleddinum nulla est, unde patet, suo de ea scripsisse Abulpharagium arbitrari. Pro Damasco posita est Laodicea, vicina illa, opinor, ad Libanum sita, errore sive Batlanidae sive quem hic secutus est; nam Nicolaum, Laodiceus si fuisset, vocari se maluisse Damascenum, quemadmodum Diogenem Stoicum, Seleuciae ad Tigrim natum, propter vicinae urbis claritatem Babylonium se dixisse scribunt Laertius VI, 81 et Strabo XVI, 1, 15 (cfr. Ions. de script. hist. philos. I, 2, 6, Sturz. opuse. p. 21 sqq.) ipse, quominus suspicemur, prohibet, πόλεως οὐποτ' ἀφ' ἐτέρας οἰόμενος δεῖν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς αὐτοῦ προσαγορεύεσθαι, ut ipse scribit de vita sua, κατεγέλα δὲ καὶ τῶν καθ' ἑαυτὸν σοφιστῶν, οἱ μεγάλοις τιμήμασιν ἐωνοῦντο Ἀθηναῖοι ἢ Ῥόδιοι καλεῖσθαι, βεβηρόμενοι τὴν ἀδοξίαν τῶν πατρίδων, ἔνοιοι δὲ καὶ συνέγραψαν περὶ τοῦ μὴ εἶναι ἀφ' ἧς πόλεως ἦσαν, ἀλλ' ἀπὸ τινός τῶν δι' ὀνόματος Ἑλληνίδων, ὁμοίους τε ἀπέφαινε τοῖς τοῖς ἑαυτῶν γονέας βεβηρόμενοις. Excerpt. Vales. p. 422 (p. 12 Orell.). Nicolai de philosophia librorum reliquias collectas alio loco exhibebimus.

Sequuntur apud Abulpharagium p. 89 haecce: „Ex iis etiam Dorotheus mathematicus, scientiae sphaericae et iudiciorum astrologicorum peritia insignis: libri ipsius hoc in genere doctis noti, sunt de nativitatibus, et circulis.“ De hoc quoque quae conscripsimus, seorsim infra legentur.

<sup>76)</sup> Neque enim huc pertinet, licet argumento simili, eius ἑπαικός (orat. V.) Ioviano dictus, nec magis oratio (XV.) ad Valentem de religionibus, quam Latine vulgatam ab Andrea Dudithio, necdum Graece repertam, subditiciam atque ex ἑπαικῶδ laciniis consarcinatam arbitror.

<sup>77)</sup> Medicus Christianus a. 1052 mortuus, de quo vid. Wüstenfeld. Ar. Aertz. 133 p. 78 sq.

„Ex iis etiam“, inquit, „Diophantes; <sup>78)</sup> cuius liber A, B, quem Algebram vocat, <sup>79)</sup> celebris est, in quem si immiserit se lector, oceanum hoc in genere reperiet.“ Diophantum arithmeticum fuisse qui ante Christum natum floruisse dicerent, Vossius tradit de scient. math. p. 432; alii sub Antonino Pio vixisse putaverunt, Raphaelis Bombelli algebraistae auctoritatem secuti, qui quibus calculis subductis id exputaverit, an utique Ptolemaei aetate dignum iudicaverit, incertum. Bachetus Meziriacus, qui Diophanti arithmeticis a. 1621 Lutetiae Paris. primum Graece editis optime de his litteris meruit, in Neronis tempora eum incidisse existimavit, quod eundem esse putaret astrologum Diophantum a Lucillio poeta epigrammatum diceris lacessitum (epigr. 41 Anal. Brunck. t. II, p. 325. cfr. ep. 37. 62. 113. An. Br. II, p. 324. 329. 340.). Cuius sententia parum probata est iis, qui summum arithmeticum eundemque astrologum ridiculum minime ferri posse censerent. Itaque alii, quum a Diophanto de num. multang. 8 Hypsiclem commemoratum invenirent, a quo quod *ἐν δροφ* dictum erat, a se demonstratum ait, quod est unicum Diophanti aetatem suam significantis testimonium, hoc non adeo recentiore Diophantum ac fere aequalem sub Antoninis vixisse arbitrati sunt, velut Hambergerus, qui in *zuverläss. Nachr.* t. II, p. 335 ad annum 160 p. Ch. eius aetatem retulit, et E. Biotus, qui paulo post Ptolemaeum et ante tredecim saecula, quam calculus litteralis perficeretur a Vieta et Cartesio et aliis ante hos initio saeculi XVI. viventibus, scripsit in *Journal des Savants* a. 1841 Novemb. p. 661 sqq., laudans vitam a Lacroixio scriptam in Francogallica illa Biographia universali, quam inspicere nondum mihi contigit. Qui etsi iudicio satis probabili usi videntur, in eo tamen non mediocriter philologorum quorundam erroribus se decipi passi sunt, quod aliquem Isidorum, Hypsiclis magistrum, sub Divis Fratribus i. e. M. Aurelio et L. Vero imperatoribus floruisse existimarunt. Sed his refellendis in altero harum lectionum fasciculo vacabimus. Itaque quum de Diophanti aetate nimis multa essent incerta, ut fere in illis problematis, quae ab ipsius nomine analytici appellant, non mirum est, viros doctos hoc, quod apud Abulpharagium reperitur, tanquam *ἐξουσίω* gavisos libenter ei assensisse. Et Ger. Meermannum quidem, qui primus in Speciminis calculi fluxionalis Lugduni Bat. a. 1742 editi praefatione, p. \*3 sq., eam sententiam protulerat, excepit Montucla *hist. des mathém.* I, p. 230, Montuclam Saxius *onomast. litter.* I, p. 417, hunc Harlesius *introd. in hist. ling. Graec.* II, p. 336, quique deinde usque ad Passovium Bernhardiumque litterarum Graecarum annales confecerunt; Schulzius vero, qui Diophanti libros in linguam Germanicam convertit, praef. p. XIV. sq. <sup>80)</sup>, et, qui nuper algebrae historiam condidit, Nesselmannus, I, p. 254, suspicionem a Cossalio et Colebrookio in-

<sup>78)</sup> Falsa haec nominis forma, nec Abulpharagio imputanda, apud quem p. 141 Arab. neutra est earum litterarum, quibus vocales in terminationibus *os* et *ης* Arabice distinguuntur, immo p. 388 Arab. littera *vav* haud dabie extat; sed repetita ex Suida v. *Υααία*, ubi olim legebatur *δρόμνημα εἰς Διοφάντην*. Neque ad excusandam eam formam adduci debebant a Schulzio et Nesselmanno *αυροφάντης* et *ισροφάντης*, quae a *φάινω* facta sunt vocabula; nomina propria in *φάρτος* desinentia a *φάινωμα* fiunt. Apud Pausaniam X, 42, 2 fortasse legendum *Δαίφάντης*. Ceterum cfr. Nesselm. *Gesch. d. Algebr.* I, p. 244. Ebert. *dissert. Sicul.* I, p. 119. Keil, *anal. epigr.* et *onomatol.* p. 174.

<sup>79)</sup> Obscure reddidit Pocockius, quae corrupta sunt in Arabicis. Expedire conati sunt Idelerus ap. Schulz. *Dioph. German. vers.* praef. p. XIV et Nesselmannus p. 275.

<sup>80)</sup> Hunc plane secutus est Schoellius *hist. litt. Graec.* III, p. 332 sq. *interpr. German.*

iectam remove ab auctoritate Abulpharagii instituerunt. Quibus in praesens hoc tantum opponam, Abulpharagium et hunc de ipso Diophanto locum et quae p. 222 de Mohammede Abulvapha, primo, quod sciamus, eodemque unico Diophanti librorum interprete Arabico, scripsit, non aliunde sumpsisse quam a Gemaleddino ap. Casir. I, p. 370 et 433; qui quum de Diophanti aetate utroque loco plane taceat, ex Abulvaphae<sup>81)</sup> commentariis eam cognovisse Abulpharagius cupidius quam probabilis perhibetur. Immo hunc non aliam ob causam eius mentionem fecisse putaverim, quam quod Dorotheo, quem cur haec ad tempora retulisse videatur, infra dicemus, vicinum in Gemaleddini libro ad litteram digesto reperisset. Ceterum socium non contemnendum<sup>82)</sup> adhuc ignorasse videntur Iulianae aetatis defensores, Io. Christoph. Wolfium, qui, loci Abulpharagiani nescius, Libanii epistolam 632 ad Diophantum non alium quam mathematicum Alexandrinum scriptam ex argumento eius agnoscere sibi visus est. Sed quae Libanii nomine feruntur epistolae, earum permultae non huius sunt rhetoris, sed posteriorum, non paucae quidem, nisi fallor, Procopii Gazaei vel aequalis cuiusdam sophistae; ut, quam probabilis sit Wolfi sententia, quum etiam alii et illis in epistolis et Libanii temporibus commemorentur Diophanti, nisi de epistolae auctore satis constet, decerni non possit. Duo praeterea addam; primum non inutile futurum fortasse, si cum iis, quae Diophantus arithm. I, def. I sqq. docet, conferantur quae a pseudonymo Origene philosophum. c. 2 p. 35 Wolf. e Pythagoreorum doctrina referuntur;<sup>83)</sup> deinde apud Bacchium introd. mus. p. 122 pro

<sup>81)</sup> Ab eodem in Arabicam linguam conversum atque emendatum et illustratum ait Wenrichius p. 291 Aristippi Cyrenaei de algebra librum, citato Gemaleddini codice p. 82. Idem ab eodem conversum auctumque et illustratum ait p. 209 Aristarchi Samii de magnitudinibus et distantis solis et lunae librum, citato eodem codicis loco additoque Cas. I, p. 346. Apud Casirium autem haec leguntur Latine: „Aristarchus Samius Zaphaeus (legendum Zenonis sectator). Inter illius opera extat liber de Arithmetica; liber de magnitudinibus et distantis solis et lunae, quem Arabicè vertit Abulvapha Mohamad Ben Mohamad Calculator, commentariisque et mathematicis demonstrationibus illustravit; liber denique de numerorum divisione.“ Zaphaeum sive potius Zaphnaum num bene correxerit Casirius, non possum dicere; sed Aristarchus Arabice dictus est Aristicus, quod nomen ita scriptum est, ut, mutato ie in re, Aristarchus legatur, mutato unius puncti litura kaph in phe, Aristippus. Itaque quum non minus ad Aristarchi libros arithmeticos, quam ad Aristippi (nam librum de numerorum divisione huic quoque tribuit) Gemaleddini codex p. 82 a Wenrichio citetur, astronomicum autem illum de sole et luna librum Aristarchi, non Aristippi, esse inter omnes satis constet, multum vereor, ne quae oblivio illuserit viro doctissimo, ea fortasse legenti, quae Herbelotus scripsit II, p. 400 ed Hag.: „Katab kesmat aladad le Arisfikous Al Iounani, Traité d'Arithmétique, attribué à Aristippe, Arisfikous, qui se lit dans Hagi Khalfah, est pour Aristifous.“ Verum, utcumque est, (nam Hagium Chalipham nec ipse legi nec Wenrichius citavit.) exterminandus hinc videtur Aristippus, quo nomine non traditum est quumquam apud veteres mathematica scripsisse, Cyrenaeum ea etiam aspernatum docet Aristoteles metaph. B, 2; Aristarchus autem minime indignus successore Diophanto. — De Abulvapha, Euclidis, Aristarchi, Diophanti librorum interprete (940—997), vid. Fluegel, p. 31 sq.

<sup>82)</sup> Neque enim flocci facturos puto ridiculum illum cognominem ad eadem tempora delatum a Chardono Rochettio, elegantis ceteroquin iudicii viro, quem Boissonadius ad Eunap. I, p. 412 existimasse narrat, Lucilli epigrammata ad alteram saeculi quarti partem pertinere.

<sup>83)</sup> Locus sic legendus est mea sententia: τοῦ τελείου ἀριθμοῦ τὰ τέσσαρα καλεῖται μέτρα, μονάς, ἀριθμός, δύναμις, κύβος· ὧν καὶ ἐπιπλακαὶ καὶ μίξεις πρὸς γένεσιν ἀξήσεως γίνονται κατὰ τῶν γόνιμον ἀριθμὸν ἀποτελοῦσαι. ἔστιν γὰρ δύναμις ἀπὸ τῆς ἐξ' ἑαυτῆν κυβισθῆ, γέγονε δυναμὸς δύναμις· ἔστιν δὲ δύναμις ἐπὶ κύβου, δυναμὸς κύβου· ἔστιν δὲ κύβος ἐπὶ κύβου, γέγονε κυβόκύβος· ὡς γίνεσθαι τοὺς πάντας ἀριθμοὺς, ἐξ ὧν ἢ τῶν γνωμίων γένεσις γίνεται,

*Λεόφαντον* legendum videri *Λιόφαντον*. Fabricius quidem bibl. Gr. t. V, p. 645 Harl. „Harmonica Diophanti, quae Gesnerus et alii“ (Ramum affert Nesselmannus p. 256) „memorant, intellige de harmonicis numeris, non de scripto quodam musici argumenti.“ Verum ea nescio an mera sit coniectura viri doctissimi, mutaturi sententiam, si commemoratos a Labbeo nov. bibl. mss. libr. p. 168 et 170 Diophanti isagoges harmonicae codices meminisset.

Proximus huic, longo sed proximus intervallo, ut cum poeta loquar, apud Abulpharagium est Ioannes Philoponus, de quo narratis rebus gestis Omari chaliphae nobilissimo illo loco p. 114 huiusmodi verba fecit: „Porro hoc tempore claruit inter Muslemios Iohannes, quem vocamus nos grammaticum, qui Alexandrinus fuit, fidemque Christianorum Iacobiticorum professori Severi doctrinam adstruebat, deinde recessit ab eo quod profitentur Christiani de Trinitate; quare convenientes eum Episcopi in urbe Metsra rogarunt, ut ab eo quod [profitebatur] rediret; cumque redire nollet, eum de gradu suo deiecerunt. Vixitque donec caperet Amrus Ebno 'l As Alexandriam, et ad Amrum accessit; qui, cognito quem in scientiis locum teneret, honore ipsum affecit, audiitque de sermonibus eius philosophicis, quibus assueti non fuerant Arabes, quod eum ad stuporem redigeret, quoque percelleretur. Fuit autem Amrus intellectu praeditus, ad res percipiendas promptus, conceptibus claris, adhaesit ergo illi, neque ab eo discessit.“ Sequitur narratio illa fabulosa de libris combustis,<sup>84)</sup> de qua multi in contrarias partes disputarunt, nec ita pridem fidem derogans Abulpharagio G. Partheius, d. alexandr. Mus. p. 105 sqq.,<sup>85)</sup> cui ipse assentior. Sed a quo ille fabulam acceperit, obscurum est; tantum equidem tribuo hominis religioni, ut non modo confixisse, sed ne exornasse quidem mihi videatur. Verum etiam de aetate Ioannis ita hic

ἐπέα, μονάδα, ἀριθμόν, δόναμιν, κίβον, δυναμοδόναμιν, δυναμόκυβον, κυβόκυβον. Verba *δυναμόκυβος* — ἐπὶ κίβον in codd. mss. omisa iam Gronovius inseruit; in reliquis *μέτρα* scripsi pro *μείρη*, *κυβισθῆ* quum de solidis agatur i. q. *πολλαπλασιασθῆ* pro *κυβιστῆ*, unionem et numerum bis transposui.

<sup>84)</sup> „Deinde die quodam dixit illi Iohannes, Circumvistis tu omnia Alexandriae repositoria, omniaque rerum genera quae in iis reperiuntur obsignasti; quod ad illa igitur, quae tibi profutura sint, nolo tibi contradicere, at quae nulli tibi usui futura sunt, nobis potius convenient. Dixit illi Amrus, Quid est quo opus tibi sit; dixit illi; Libri philosophici, qui in gazophylaciis (bibliothecis) regis reperiuntur. Hoc, inquit Amrus, est de quo statuere non possum, illud [petis] de quo ego quid in mandatis dare non possum, nisi post veniam ab imperatore fidelium Omaro Ebno 'l chattab impetratam. Scriptis ergo ad Omarum litteris, notum ei fecit, quid dixisset Iohannes, perlataeque sunt ad ipsum ab Omaro litterae, in quibus scripsit. Quod ad libros quorum mentionem fecisti: si in illis contineatur, quod cum libro Dei conveniat, in libro Dei [est] quod sufficiat absque illo; quodsi in illis fuerit quod libro Dei repugnet, neutiquam est eo [nobis] opus, iube igitur e medio tolli. Iussit ergo Amrus Ebno 'l As dispergi eos per balnea Alexandriae, atque illis calefaciendis comburi: ita spatio semestri consumpti sunt. Audi quid factum fuerit et mirare.“ — Abdallatiphus (1162 – 1231) in descriptione Aegypti, quam in linguam Francogallicam convertit Sylvester de Sacy, p. 183 haec ait: „Je pense que cet édifice (loquitur de portico Pompeii, quam vocant, columnae circumiecta,) étoit le portique où enseignoient Aristote et après lui ses disciples; et que c' étoit là l'académie que fit construire Alexandre, quand il bâtit cette ville, et où étoit placée la bibliothèque que brûla Amrou ben-Alás, avec la permission d'Omar.“ Wahl. interpr. German. p. 190. Macrizius, cuius locum a Langlesio allatum nondum vidi, secutus esse dicitur Abdallatiphum.

<sup>85)</sup> Sed competitor eius et *δευτερογωνιστής* Klippelius patrocinium Abulpharagii suscepit, üb. d. alex. Museum p. 261 sqq.

locus multis imposuit, ut et fidem temere adiungerent, et Buhlius, de libr. Aristot. interpret. (opp. Arist. t. I.) p. 303, Ioannem medio saeculo septimo floruisse eundemque Ammonii Hermiae discipulum acerbissimas cum Simplicio lites connexuisse scribere non erubuerit. Ac sane de Philoponi, non modo multarum, sed etiam maxime variarum litterarum hominis, vita et scriptis ut aliquando diligens et accurata quaestio instituat, vehementer optandum est; medio saeculo sexto eum floruisse, nuper quoque confirmavit epistolae theologicae ab eo ad Iustinianum imperatorem post huius ad monachos Alexandrinos tractatum scriptae notitia, quam in Spicilegii Romani tomo III a. 1840 edito, p. 739 sqq., Ang. Maium aperuisse legimus in Repertorio Lipsiensi a. 1843 fasc. 40, p. 8. In medium septimum saeculum fortasse eo delatus est, quod concilium Constantinopolitanum tertium a. 681 tritheitarum sectam, cuius princeps Ioannes habetur, condemnavit.<sup>86)</sup>

Pergit Abulph. p. 114 sq.: „E medicis autem qui hoc tempore floruerunt fuit Paulus Aegineta medicus suo tempore celebris: insigniter autem peritus fuit in mulierum morbis, multumque illis curae impendit. Convenire ipsum solebant obstetrices, et eum de rebus, quae mulieribus post partum acciderent consulere, quibus respondere dignabatur, et quid facerent in iis de quibus quaesierant indicare; unde eum Alkawabeli [q. obstetrium] appellarunt. Scripsit librum de Medicina in novem distinctum tractatus, quem transtulit Honain Ebn Isaak; et librum de affectibus mulierum.“ E Gemaleddini libro haec desumpta esse, docet Abulpheda hist. anteisl. p. 157; addiderat ille, post aetatem Galeni vixisse et Alexandriae habitasse; de libris Pauli quae tradiderat, Abulpheda omisit. Sed Wenrichius ex coniunctis Mohammedis, Gemaleddini, Ebn Abi Osaibae, Abulpharagii copiis attulit de medicina libros septem, de mulierum morbis, de puerulorum vivendi ratione atque curatione. Ac primum ap. Abulphar. quoque pro novenario numero restituendus est septenarius, quam et elementa Arabica facile admittunt emendationem et res ipsa flagitat. Deinde, quemadmodum etiam Graece extant in bibliothecis e Pauli de universa medicina libris VII singillatim excerpta (v. c. cfr. Nessel. catal. bibl. Caes. Vindob. VI, p. 99. Labb. nov. bibl. p. 126), ita ille de mulierum morbis tractatus non est separatus liber Aeginetae, sed maioris pars operis, ea fere continens, quae de illis vel medicamentorum ope sanandis lib. III, c. 35 p. 92. c. 60—76 p. 113—122 ed. Bas., vel manu curandis VII, 70—75 p. 201—204 praecepit; neque magis alter ille de puerulorum

<sup>86)</sup> Act. XI, t. III, p. 1289 Harduin. ap. Fabr. bibl. Gr. IX p. 359 (X, p. 641 Harl.). Cfr. Phot. bibl. c. 19—26. Neque ad hanc causam inutilia videntur, quae de de Ioanne scripsit Leontius, de sectis act. V, p. 474 sqq. Leunclav., cuius libri non factam mihi copiam moleste fero. Neque vero dissimulandum, etiam saeculi VII initium attigisse videri Philoponum, si quidem commentarios in hexaemeron scriptos dicavit Sergio illo, qui patriarcha Constantinopolitanus fuit ab anno 610 ad 639 (Chron. Pasch. p. 382 b. Theophan. p. 248 c. 282 c.) et ad Aristot. phys. ausc. IV s. p. 2 haec verba fecit: *γαμὲν γὰρ ἐνεστηκέναι τὸν καὶ ἐναντὸν καὶ ἡμέραν, ἐναντὸν Διοκλητιανοῦ ἔτος τλγ', μῆνα παχῶν, ἡμέραν δεκάτην* (Fabr. I. I.) qui est annus Christi 617. Iam Iustinianus imperator obiit die 14 (II) Novembris a. 566 (Chr. P. 375 b. Theoph. p. 204 d.); quo anno si Ioannem illam epistolam dedisse sumimus 25 annos natum, admodum senex annum agens 77mum in conficiendo commentario versatus videbitur. Ac facile etiam aliquanto provecior aetate fuit, quum adv. Procul. de aetern. mund. XVI, 4 scripserit: *καὶ τὸν γὰρ ἐγ' ἡμῶν κατὰ τὸ διακοσιοστὸν τεσσαρακοστὸν πέμπτον Διοκλητιανοῦ ἔτος* (i. e. Christi 529) *ἐν τῷ αὐτῷ ζῳδίῳ τῷ ταύρῳ γεγόνασαν οἱ ἐπὶ πλανώμενοι, εἰ καὶ μὴ ἐν τῇ αὐτῇ μοίρᾳ ἄπαντες* (Fabric. I. I. p. 362 sq. p. 644 Harl.), quae si ante eum natum coeli affectio fuit, facile erat pro *ἐγ' ἡμῶν* scribere *ὀλίγω* πρό ἡμῶν.

victu atque curatione, qui fere libri I, qui totus est diæticus, quattuordecim primis capitibus continetur; quorum quum primum inscriptum sit *περὶ τῶν συμβαινόντων ταῖς κνούσαις καὶ πῶς αὐτὰς διατητέον*, illius et nominis et fabulae obstetriciae quae origo fuerit, iam satis perspicitur. Neque dubitari debet, quin non plura Pauli scripta, non dicam extiterint, sed lecta ab Arabibus sint, quam quae hodie Graece supersunt; nec quidquam ex ipso Paulo de eius aetate illi sciverint, quod non aequè sciri a nobis possit. Et Alexandriae eum, si non habitasse, at commoratum aliquando fuisse, docent loci IV, 9 p. 153<sup>87)</sup> et VII, 17 p. 286. Vixit autem non modo post Galenum, sed etiam post Oribasium, cuius se copiis maxime usum profitetur, I, prooem.; Alexandrum quoque bis citat, qui est Trallianus; nam de calculo a tussiente eiccto quod Alexandrum referre ait III, 28 p. 85, apud Trallianum legitur V, 4 p. 243 ed. Bas., et τὸ διὰ τοῦ γραμικοῦ μέλανος φοινίσσον ἰδίως μάλιστα τοὺς ἡμικρανικοὺς, ἐκ τῶν Ἀλεξάνδρου, VII, 19 p. 296, ab hoc exhibitum est I, 12 p. 41. De Alexandri autem aetate satis constat eo, quod Agathias hist. V, 9 eum et Metrodorum grammaticum et Dioscorum medicum fratres dixit Anthemii, clarissimi illius mechanici, quem Sophiae templo in factionum circensium seditione a. 532 combusto Iustinianus imperator splendidissime restaurando praefecit. Iam si eadem ratione Paulus Alexandrum laudavit, qua Alexander Aetium Amidenum, obsequii comitatu, Iustiniani, ut volunt, invento, insignem, (apud Paululum quidem IV, 1 p. 131 pro *Ἀέτιον* legendum esse *Ἀρέτιον*, iam pridem alii docuerunt,) Aetius Iacobum Psychristum, Leone imperante clarum; vergente saeculo VI vel ineunte VII floruisse dici potest, aequalis Philopono. Probabilitatis haec quidem potius quam veritatis ratio est, qua quum prope eodem feramur, quo iubet Abulpharagii auctoritas, si fere eandem hunc quoque rationem secutum existimamus, quoniam etiam universa quaedam ac fortuita aetatis significatio haberi potest, eruditioni hominis non aequo minus tribuere nobis videmur. Neque ante Honainum<sup>88)</sup> et ei fere aequalem Ioannem, filium Serapionis,<sup>89)</sup> Pauli mentio a quoquam facta reperitur.

Deinceps Abulphar. p. 115: „Ex illis etiam fuit Magnus qui inter Medicos recensetur, at non vidimus quicquam ab eo conscriptum.“ Videtur hic esse, de quo ex libro Gemaleddini haec attulit Abulpheda: „Magnes Emisenus, e discipulis Hippocratis, vir dum vixit celeberrimus; libros reliquit complures; in his librum de urina et alios.“ Quem Alexandro Tralliano antiquiorem saeculo IV vixisse arbitror.<sup>90)</sup>

Heraclii imperatoris tempore, ut ait Abulphar. p. 99, „inclaruit Ahron sacerdos Alexandrinus; syntagma ipsius in arte medica apud nos Syriacè reperitur, triginta constans tractatibus, quibus duos

<sup>87)</sup> Verba δ' ἔλαβον ἐν Ἀλεξανδρίᾳ indicant alio loco scribentem. Hinc paullo probabilius videtur *περιοδεντοῦ* inscriptio ap. Montfaucon. bibl. Coisl. p. 225, quam *ιατροσοφιστοῦ* apud Labbeum. Iatrosophistae sunt medicinae professores vel doctores; *periodontae*, qui, ut aegros inuisant, vicatim per urbes discurrunt; vid. Vales. ad Soer. hist. eccl. VII, 13. Menag. iur. civil. amoenitatt. c. 35.

<sup>88)</sup> De hoc iam supra dictum n. 18; in medicina quid praestiterit, vide ap. Sprengel II, p. 375 sqq.

<sup>89)</sup> De quo vid. Sprengel. II, p. 379 sqq. Wüstenfeld Ar. Aertz. 99 p. 49.

<sup>90)</sup> Vid. not. 72. Theophilus prooem. *μετὰ δὲ τούτων* (Hippocratem) *Γαληνὸς ὁ θανμάσιος ἰατρός ἐπεχείρησέ τε καὶ ἔγραψεν· εἴτα μετ' αὐτὸν Μάγνος ἰατροσοφιστής.* Actuarius I, 2 hoc ordine, qui de urinis scripserunt, enumerat, Hippocratem, Galenum, Magnum, Alexandrum, Theophilum, Theophili editionem Guidotianam usurpare non licuit.

alios addidit Sergius. "Sergium hunc Graecorum scriptis in linguam Syriacam transferendis clarum, iam sub Iustiniano consignaverat p. 94, cfr. p. 172. Barh. p. 59.<sup>91)</sup> Sub Mervano chalipha Aharonis libros in Arabicam linguam conversos tradit Abulph. p. 126 sq. Hinc dubitari posset, an Syriace Aharon scripsisset, ut Wuestenfeldius putat, Ar. Aertz. 9 p. 7, nisi diserte diceret Barhebraeus p. 59: „Aaron vero presbyter, non fuit Syrus, sed Gosius quidam Alexandrinus librum eius e graeco syriacum fecit.“<sup>92)</sup> Qui Gosius si non alius fuerit atque ille Gesius s. Gessius iatrosophista, Zenone et Anastasio imperatoribus clarus, quem commemorant Damascius ap. Suid. et Eudoc. v. Γέσιος et Phot. bibl. c. 242 p. 352, Stephanus Byzantius v. Γέα, Zacharias Ammon. p. 82 et 98 Boiss., Aeneas Gazaenus epist. 19. 20, Procopius Gazaenus epist. 38. 47, Pseudolibanius epist. 810. 867. 962. 1032. 1149, fortasse etiam Palladas epigr. 61—68. 147; in saeculum V. Aharonem redigemus; nec incommode propter Sergii aetatem, ad quem, quum magna pars illius sophistici epistolarum commercii inter Syros versetur, datae putari poterunt Dionysii sophistae epistolae 34 et 37. Sed de his iam videant doctiores; de scriptis et placitis Aharonis dixerunt Fabricius bibl. Gr. XIII, p. 18. Sprengel. Gesch. d. Arzneyk. II, p. 366 sqq. A Gemaleddino numquid acceperit Abulpharagius, nondum compertum habemus.

Atque hi sunt, de quorum temporibus ab Abulpharagio mentio facta est, scriptores Graeci; nam a Latinis vertendis abstinuisse videntur Arabes, nisi qui forte in Hispania ad id negotium incubuerunt; velut in scriptorum antiquorum in Arabico Ben Alvami Hispalensis de re rustica libro commemoratorum catalogo, quem exhibuit Casirius I, p. 324 sq., nonnulli haud dubie Latini reperiuntur, ut Martialis (Gargilius), Iunius (Columella); et Orosii historiarum libros Arabice lectos fuisse diserte traditum est, vid. Sylv. de Sacy ad Abdallatiph. p. 496. 500. Sed de Plinii historia naturali quod quidam opinati sunt, falsum est, quum aliis de causis, quas exposuit Wenrichius p. 237 sq., tum quod elementa non conveniunt cum iis, quibus Plinii minoris nomen expressit Abulph. p. 120 Ar., ubi cognitiones de Christianis ab eo habitas refert. Verum Abulpharagius, quem errasse multo saepius quam verum vidisse intelleximus, iam non frustra praefatus esse videbitur, nihil sua interfore, utrum tempora, quibus facta fuerit virorum doctorum mentio, sint ea, quibus revera floruerint, necne; qua professione quum vix quidquam dici possit annalium scriptoris persona indignius, hominem, qui creberrimis philosophorum aliorumque doctrina ac literis insignium virorum commemorationibus eoque, quod tali potissimum ornamento priorem operis sui editionem ab altera superari voluit, tum se ipsum singulari litterarum amore flagrantem praebuit, tum eo-

<sup>91)</sup> De hoc Sprengelius II, p. 365 laudat etiam Casirium I, p. 325; qui quem in scriptorum antiquorum ab Arabico rei rusticae scriptore laudatorum indice vel Chaeream Atheniensem vel hunc Sergium philosophum esse putavit, is mihi, iubentibus elementis, Soranus appellandus videtur.

<sup>92)</sup> Proxime antecedunt haec verba: „Fuerunt etiam inter Syros praestantes medici e. g. Sergius Resaimensis, qui primus libros philosophicos et medicos ex lingua graeca in syriacam convertit, et Athanasius Amidensis, et Philagrius, et Simeon monachus, cognomento Taibutha, et Gregorius episcopus et Theodosius patriarcha et Honainus praestantissimus filius Isaaci, alique multi his posteriores, usque ad hodiernum diem. Hi omnes Syri sunt.“ In his unum, qui Graece scripsit, agnoscimus Philagrium, sed nullus est Amidenus Athanasius, quem Brunsius finxit; immo ea sunt elementa Syriaca, ut mutato nun in iud, quae prope nulla mutatio est, non dubie legatur nomen Aetii.

rum humanitatem, quorum rogatu librum conscripsit, egregie testificatus est, hunc hominem, inquam, non levitate et socordia ductum illam sibi veniam petiisse existimamus, sed quod sciret, etiamsi maxime vellet, id a se praestari non posse, ut de singulorum aetatibus ipse accurate exponeret, ubi veteres chronicorum conditores, deinde interpretes antiquorum librorum, postremo illi, quibus litterarum historia curae fuerat, satis multa aut silentio praeterissent aut in obscuro reliquissent. Chronica enim in Eusebianis, ut diximus, fundamentis extracta, non solum multa offerebant scriptorum nomina, quorum opera aut iam pridem interiissent, aut ab Arabum studiis essent alienissima; atque erant, quorum etiam nomina ipsa vetustas oblitterasset; multa vero etiam in iis desiderabantur, quibus illius gentis studia vel maxime continerentur. Interpretes, si qui historice litterateque de scriptorum libris disseruisse feruntur, velut de Galeni commentariis Honainus (Cas. I, p. 251 sq.), de Aristotelis librorum ordine, de huius in categoriis proposito, de Euclidis librorum instituto Alchindus (Cas. I, p. 357. 358), tamen non ita habitabant in litteris Graecis, ut, nisi quae ex eo ipso, quem quisque tractaret, scriptore vel aliis satis pervulgatis addisci possent, ignorare cogerentur, et hoc tantum universe ponerent, si quis philosophus, medicus, mathematicus ante Aristotelem, Hippocratem, Galenum, Ptolemaeum, vel post eos vixisse videretur. Qua in re tanti fiebat nonnullorum auctoritas, si quid falso constituissent, praec eo ut etiam id, quod e libris postea allatis melius sciri poterat, negligeretur, sicut in Apollonii Pergaei et Euclidis aetate evenisse vidimus. Neque aliis nisi horum copiis uti poterant in antiquarum litterarum historia Arabici illi Callimachi scribentes *πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμβανόντων καὶ ὧν συνέγραψαν*, quorum fuit antiquissimus Mohammedes Isaaci f. cognomine Annadinus, celeberrimus Gemaleddinus, novissimus et copiosissimus Hagius Chalipha, qui de plurimorum veterum aetate aut plane tacuerunt, aut praeterpropter, ut aiunt, sententiam pronuntiarunt. Neque tamen eo minus, ut nunc litterarum Orientalium studia fervent, sicut Hagii Chaliphae opus coeptum est edi, ut etiam antiquiores illi aliquando in bibliothecis latere desinant, quod, si minus de temporibus, at certe alia neque pauca neque contemnenda docturi esse videntur, vehementer exoptamus. Denique ad illa, quae diximus, mala accesserunt etiam fraudes falsariorum, qui non solum bonis auctoribus suos fetus subdiderant, sed etiam plane monstra protulerant, velut Sabellianum illum Empedoclem, praestigiatores Eunomium, Phurinum physiologum antepythagicum Epicureum, ne Photinum dicam Cleopatrae ministratorem astronomum; accessit credulitas Orientalis et inconsiderantia, ἀκρισία pariter atque ἀνιστορησία, et in maxima linguarum diversitate facillima nominum corruptela et confusio, quam sequebatur rerum, temporum, notionum. Quae quum ita sint, non potest non prudenter fecisse videri Abulpheda, quod in historia anteislamica omnia, quae de scriptoribus Graecis dicenda viderentur, in unum caput separatim coegit, ubi non opus esset ad sua quaeque redigere tempora, quorum in paucis tantum rationem habuit; <sup>93</sup>) Gregorius autem et Eutyichius, (nam de Taberistanensis annalibus dicere non possum,) annalium necessitati parentes in aleam rem dederunt.

<sup>93</sup>) Hoc ordine ab eo positi sunt: Thales, Empedocles, Pythagoras, Hippocrates, Socrates, Plato, Aristoteles, Timaeus (., qui e magistris Platonis fuit<sup>6</sup>), Proclus, Alexander Aphrodisiaeus. In his quum a temporum ordine non multum discesserit, de Hippocratis et Aristotelis tantum temporibus accuratius dixit. Sequuntur Timocharis, Porphyrius, Plotinus, Paulus Aegineta, Leslon Zelotes, Maxistrates, Meton et Euctemon, Myrtos vel Myristos, Mithridates; de quibus quae affert, e Gemaleddini libro se exscripsisse ipse profitetur, et manifestus est ordo litterarum Arabicarum, quo ille suum opus digessit. Denique mentio facta est Ptolemaei et Galeni, Euclidis, Hipparchi.



Sed Eutychium, qui, si forte unum et alterum rectius posuit, plerumque aut nuda nomina aut meras fabulas exhibet,<sup>94)</sup> tanto superat Gregorius doctrinae ubertate, quanto erat Gemaleddini coplis instructor, cuius a vestigio rarissime discessit, vix unquam peccata evitans, immo saepissime augens adiectis temporum notationibus. Quibus examinandis ne prorsus operam lusisse videamur, si qui forte hoc nihili aestiment, errorum rationes aperuisse, data occasione quum in ipsa dissertatione tum in annotationibus, quae imis paginis subiectae sunt, paucula quaedam attulimus, quae ad antiquarum litterarum historiae locos nonnullos illustrandos pertinere posse si non confidimus, at certe, id quod liceat nunc primum publice scribenti, speramus. Eadem mente hos, qui iam sequuntur, commentariolos, quod ille scribendi auctor extitit, lectionum Abulpharagianarum elogio comprehendi volumus.

## II. Nicolai Damasceni de Aristotelis philosophia librorum reliquiae.

Abulpharagii loco, quem p. 27 protulimus, adiciatur paullo verbosior Gemaleddini, quem primus edidit Meyerus praef. Nicol. de plant. p. XVIII. „Nicolaus“, inquit, „philosophus erat tempore suo inter philosophos Ionicos [i. e. Graecos], eximia sapientiae cognitione. Explicuit libros quosdam Aristotelis. Ex ipsius operibus praeterea sunt liber de summa philosophiae Aristotelicae, selectis eius sententiis; liber responsionis ad illos, qui intellectum et intelligibilia rem unam esse statuunt; liber compendii philosophiae Aristotelicae. Natus est Nicolaus Laodiceae, ibique commoratus est, et abhinc stirpem duxit, ut tradidit Ibn Bothlan. Erat magnae perspicacitatis, eruditus, rerumque, quas transcribebat, bene gnarus.“ Omissus est non alio, opinor, quam librarii errore liber de plantis, de quo et Abulph. mentionem fecit et Hagius Chalipha ap. Meyer. p. XII (Herbelot. v. Ketab alnabat) his verbis: „Liber plantarum: Ab Aristotele tractatus sunt duo; in quem Nicolaus commentatus est, quemque Isaac ben Honain<sup>95)</sup> vertit, cum correctione Thabeti ben-Qorra.“<sup>96)</sup> Omissum quoque, quod ipse Gemaleddinus in indice librorum

<sup>94)</sup> Eutych. annal. I, p. 63: „Eiusdem“ (Nachori) „tempore floruit vir quidam (origine) Persa, nomine Zorodasht, qui religionis Sabiorum auctor fuit, regnante in Persia rege Tachmurt appellato. Autumant vero nonnulli primum religionis Sabiorum auctorem fuisse Graecum quendam nomine Iunan, Iearakliusi filium, cuius sedes fuit Alyas: at iuxta alios fuit ex urbe Al Zaitunah, quae condita est in Athenarum (regione). Graeci autem primi hanc sententiam amplexi sunt, deque astrorum scientia, ac orbium coelestium motu, libros multos conscripserunt. Fertur etiam illum qui primus Sabiorum religionem instituit ex eorum numero fuisse qui turri Babelis extruendae adfuerunt.“ Postrema nolint contemnere, qui turrim Babylonicam pro specula astronomica habendam putant. Iunan autem est Ion, Iearaklius e Graeco et Anglico itacismo i. q. Heraclius i. e. Hercules (v. n. 9), Alyas i. q. Al Zaitunah i. e. *Elkai*. Reliqua mythologis cordi sunt.

<sup>95)</sup> Clari patris non ignobilis filius, mortuus a. 910 vel 911; Wuestenf. Ar. Aertz. 71 p. 29 sq. Fluegel. p. 17. Qui quod commentarium Platonis secundum Macidorum convertisse dicitur, hoc quoque indicio est, Macidorum esse Olympiodorum v. n. 71.

<sup>96)</sup> Medicis mathematicisque libris tum conscribendis propriis, tum Graecorum interpretandis clarissimus, natus a. 831, mortuus a. 901; Wuestenf. 81 p. 34 sqq. Wenr. p. 177 sq. Fluegel. p. 17 sq.

Aristotelis dixit de historia animalium, ap. Cas. I, p. 306: „Horum librorum antiqua superesse compendia memorat Iahia Ben Adi.<sup>97)</sup> Compendium Nicolai e Graeco in Arabicum sermonem transtulit Ali Ben Zaraa,<sup>98)</sup> et emendavit: cuius exemplar penes me est.“ Quem eundem esse Nicolaum, qui de plantis scripsit, iam Wahlius perspexit ad Abdallatiph. p. 120. Contra liber compendii philosophiae Aristotelicae nihil differre videtur a libro de summa philosophiae Aristotelicae, ideoque recte omissus ab Abulpharagio, qui huius exemplar ipse apud se habuit. Neque dubitandum, quin idem scriptum Razes contin. IX, 4 dixerit „de philosophia Aristotelis“, Simplicius ad Aristot. de coel. f. 97 (p. 493 Brandis.) *περὶ Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας*, cuius libros quinque Ali Ben Zaraa e Syriaco in Arabicum sermonem transtulisse dicitur (Fluegel. p. 27). Quod autem Gem. dicit: „selectis eius sententiis“, id si cum illius libri reliquiis confertur, significare videtur, Nicolaum, quae multis libris ab Aristotele disputata erant, ita in epitomen redegisse, ut capita doctrinae exhiberet, librorum argumentis breviter vel singillatim vel coniunctim enarratis, iis vero locis, qui maxime rem causamque continerent, etiam dilucidius explicatis et fortasse etiam ad criticam quandam rationem exactis. In quibus quae ad metaphysicorum libros, qui nunc maxime criticorum studia exercere coeperunt, annotata ab eo reperiuntur, indigna erant vel propter aetatem Nicolai, quae adhuc neglecta et vix ab uno agnita Patricio in salebris Averroinis delitescerent. Atque quum Aristotelem constet non solum de animalibus, sed etiam de plantis complures libros conscripsisse, et de ea re disseruisse, quatenus mens se ipsam comprehendere idemque esse *νοῦς* et *νοητὸν* dici possit (vid. Trendelenburg. ad Arist. de anim. p. 487. 497); perspicuum est, non his tantum a Gemaleddino idem Nicolai opus laudatum esse, sed etiam nil nisi eius partes esse libros de plantis, de animalium historia, responsonem ad illos, qui intellectum et intelligibilia rem unam esse statuunt; cuiusmodi librorum eorundem multiplicationem, qualem paulo ante in Paulo Aegineta deprehendimus, saepissime et recentiores et antiquos tam Graecorum et Latinorum quam Arabicorum aliorumque Asianorum scriptorum indices obsedissee, res est inter doctos satis nota.<sup>99)</sup> Itaque ex Nicolai de Aristotelis philosophia scriptis quae supersunt, ab Orellio omissa, nec a Patricio discuss. peripatet. I, p. 136 satis plene congesta,<sup>100)</sup> quum hic collecta edere constituerim, neque illa, quae diximus, neque si qua alia feruntur, librorum elogia sequar, sed ita disponam singulos locos, ut ad Aristotelis libros quique referantur. Quae autem ex libro de plantis Abdallatiphus duobus locis p. 9 et 15 ed. Arab. Tubing. (ap. Meyer. p. XIII. XIV) commemoravit, omittere licet, quia totum illum libellum, qui sub Aristotelis nomine circumfertur, iam Nicolao Meyerus

<sup>97)</sup> Philosophus, medicus, interpres clarus, mortuus a. 974; Wuestenf. 110 p. 56 sq. Wehr. p. 118. Flueg. p. 20 sq.

<sup>98)</sup> Iisdem nominibus laudatus, nat. a. 943, mort. a. 1008; Wuestenf. 121 p. 61. Wehr. p. 131. Flueg. p. 27.

<sup>99)</sup> Unum e Graecis exemplum afferam huic plane par. Ait Themistius ad Aristot. de an. f. 72 ὅπως μὲν ἔλεγε τὴν ψυχὴν ἀριθμὸν εἶναι κινῶντα ἑαυτὸν ὁ Ξενοκράτης, ἐκ τῶν ἐκείνου ληπτέον, καὶ μάλιστα ἐκ τοῦ πέμπτου τῶν περὶ φύσεως τῶνδ' ὀγδοῦ γεγραμμένων. In libris Xenocratis Laertius IV, 11 enumerat περὶ φύσεως α' β' γ' δ' ε' ζ', iterum §. 13 φυσικῆς ἐκροάσεως α' β' γ' δ' ε' ζ', inter utrosque §. 12 περὶ τοῦ ἐνός α', περὶ ἰδεῶν α', περὶ τέχνης α', περὶ θεῶν α' β', περὶ ψυχῆς α' β', περὶ ἐπιστήμης α' κτλ. Patet librum περὶ τέχνης α' suo loco esse motum et coniungendum cum περὶ ἐπιστήμης α': quo facto denuo sex libri efficiuntur, quibus continentur, quae Plato in Timaeo proposuit; et liber quintus de natura est primus de anima, de qua non tam hominis quam mundi Xenocrates dixit.

<sup>100)</sup> Librum olim alio loco a me usurpatum nunc denuo inspicere non licuit.

vindicavit, Hagiumque, quod Aristotelis, non Nicolai commentarium in Arabicam linguam ab Isaaco conversum scripsit, erroris coarguit.

Physica auscultatio.

I. Simplicius ad Arist. phys. f. 6 a. de Xenophane: *Νικόλαος δὲ ὁ Ἀμασκηνὸς ὡς ἄπειρον καὶ ἀκίνητον λέγοντος αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν ἐν τῇ περὶ θεῶν ἀπομνημονεύει. Ἀλέξανδρος δὲ ὡς πεπερασμένον αὐτὸ καὶ σφαιροειδές.*

Ἡ περὶ θεῶν sc. πραγματεία non fuit de diis popularibus, sed naturalibus i. e. de rerum principiis, περὶ ἀρχῶν, nam, ut ait Arist. metaph. A, 8 θεοὺς ᾗοντο τὰς πρώτας οὐσίας εἶναι, et discrete Xenophanes suum ἐν καὶ πᾶν dixerat θεόν. Eam de principiis quaestionem quum aliis locis Arist. instituit, tum physicae auscultationis libro I. Ad cap. 2 initium illa annotavit Simplicius, qui utramque et Nicolai et Alexandri rationem improbat; Xenophanem enim, finitum an infinitum sit principium, non declarasse, Theophrasti testimonio ostendit, poterat etiam Aristotelis metaph. A, 5. Sed Nicolaus, sive Xenophani ἄπειρον τὸ ὄν tribuendum putavit, quod Aristot. tribuerat Melisso, phys. I, 2, 13. metaph. I, 5, ubi hos prae Parmenide dixit ἀρροικότερους, sive memor fuit eorum, quae de terra Xenophanes statuerat, <sup>101)</sup> consentientem sibi habet Velleium ap. Cic. de nat. deor. I, 11, quem secutus est Minucius Felix Oct. 19.

II. Simplic. ad Arist. phys. f. 6 b. de Diogene Apolloniata: *Νικόλαος μέντοι τοῦτον ἱστορεῖ μεταξὺ πυρός καὶ αἴρος τὸ στοιχεῖον ἴθεσθαι.*

Idem ibid. f. 32 a. (p. 334 Br.) ad Aristotelis verba phys. I, 4, 1: *οἱ μὲν γὰρ ἐν ποιήσαντες τὸ ὄν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι (aquam, ignem, aërem), ἢ ἄλλο, ὃ ἔστι πυρὸς μὲν πυκνότερον, αἴρος δὲ λεπτότερον, τᾶλλα γεννώσι, πυκνότητι καὶ μαρότητι πολλὰ ποιοῦντες. haec annotavit: Τινὲς δὲ ἄλλο τι τῶν τριῶν ὑπέθεντο, ὃ ἔστι πυρὸς μὲν πυκνότερον, αἴρος δὲ λεπτότερον, ἢ, ὡς ἐν ἄλλοις φησὶν (phys. III, 4, 4. de coel. III, 5, 1. metaph. A, 7), αἴρος μὲν πυκνότερον, ὕδατος δὲ λεπτότερον. Καὶ ὁ μὲν Ἀλέξανδρος Ἀναξίμανδρον οἶεται τὸν ἄλλην ἰνὰ φύσιν σώματος παρὰ τὰ στοιχεῖα τὴν ἀρχὴν ὑποθέμενον. ὁ μὲντοι Πορφύριος, ὡς τοῦ Ἀριστοτέλους ἀντιδιαφορῶντος τοὺς σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἀδιόριστον ποιήσαντας πρὸς τοὺς ἢ τῶν τριῶν τι στοιχείων ἐν ἢ ἄλλο τι τὸ μεταξὺ πυρός καὶ αἴρος, σῶμα μὲν τὸ ὑποκείμενον ἀδιόριστως Ἀναξίμανδρον λέγειν φησὶν ἄπειρον, οὐ διορίσαντα τὸ εἶδος, εἴτε πῦρ εἴτε ὕδωρ εἴτε ἀήρ, τὸ δὲ μεταξὺ καὶ αὐτός, ὥσπερ Νικόλαος ὁ Ἀμασκηνός, εἰς Διογένην τὸν Ἀπολλωνιάτην ἀνέπεμψεν.*

Id. ibid. f. 32 b. Ἐπειδὴ δὲ ἡ μὲν τῶν πλείονων ἱστορία Διογένην τὸν Ἀπολλωνιάτην ὁμοίως Ἀναξίμανη τὸν αἴρα ἴθεσθαι τὸ πρῶτον στοιχεῖόν φησι, Νικόλαος δὲ ἐν τῇ περὶ θεῶν πραγματεία τοῦτον ἱστορεῖ τὸ μεταξὺ πυρός καὶ αἴρος τὴν ἀρχὴν ἀποφήνασθαι, καὶ τῷ Νικολᾷ συνηκολούθησεν ὁ φιλομαθέστατος τῶν φιλοσόφων Πορφύριος, ἱστίον ὡς γέγραπται πλείονα τῷ Διογένηι συγγράματα κτλ.

<sup>101)</sup> Xenophanes ap. Achill. Tat. isagog. ad Arat. phaenom. 4. (Petav. Uranol. p. 128 Par. 76 Antv.)

Γαίης μὲν τότε πείρας ἄνω πᾶρ ποσσὶν ὄρῃται  
καὶ ἑὶ προσπλάζον τὸ κάτω θ' ἐς ἄπειρον ἰκνεῖται.  
Pro corrupto καὶ ἑὶ Karstenius Xenoph. Coloph. reliq. p. 49 edidit ἀθέρη, mihi probabilius videtur κραίρη  
i. e. cacumini; quippe cono fere similem terram fingebat.

Cfr. Brandis. Gesch. d. Griech.-Röm. Philos. I, p. 286. Ipse Simplicius ib. f. 44 a. οἱ μίαν φύσιν ὑποτιθέμενοι τοῖς ἐναντίοις, δι' ἣν ἐν τῷ πᾶν ἔλεγον, ἐκ ταύτης γεννώσι τὰ πάντα, ὡς Θαλῆς μὲν ὕδωρ, Ἡράκλειτος δὲ πῦρ, Ἀναξίμενης δὲ ἀέρα, Διογένης δὲ τὸ μεταξὺ. Aristoteles, quis τὸ μεταξὺ principium posuerit, nominatim nusquam dixit.

#### De Coelo.

III. Simplic. ad Aristot. de coel. f. 1 (p. 469 Br.). Ἀλλ' εἰ βούλοιο τις τὴν περὶ κόσμου θεωρίαν τοῦ Ἀριστοτέλους ὁρᾶν, ἐν πάσαις αὐτὸν ἅμα ταῖς φυσικαῖς ἐπινοήσεσιν τὸν περὶ κόσμον λόγον ἀποδεσφάξαι δεήσει. ἀμέλει καὶ Νικόλαος ὁ Περιπατητικός, εἴ τι μνήμηται, περὶ τοῦ παντὸς ἐπιγράψας, περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ καὶ (legendum κατ') εἶδη ποιεῖται τὸν λόγον.

Usus est hoc loco ad librum περὶ κόσμον ab Aristotele abiudicandum Osannus Beitr. z. Griech. u. Röm. Litteraturgesch. I, p. 149. — Κόσμος nonnunquam i. q. οὐρανός, et Alexander libros περὶ οὐρανοῦ inscripserat περὶ κόσμον (Damasc. in schol. Brand. p. 454).

IV. Simplic. ad Arist. de coel. f. 97 (p. 493 Br.). Νικόλαος ὁ Περιπατητικός παραφράζων τὰ ἐνταῦθα λεγόμενα ἐν τοῖς περὶ Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας οὕτω τέθεικε τὴν λέξιν. διὰ τί οὖν οὐχ ὅλος ὁ κόσμος τοιοῦτος; ὅτι ἀνάγκη μένειν τι περὶ τὸ μέσον τοῦ κύκλου φερομένου, τὸ δὲ πέμπτον σῶμα οὕτε μένειν ἐδύνατο, οὕτε ἐν τῷ μέσῳ εἶναι.

Apud Aristotelem de coel. II, 3, 1, vulgo legitur: διὰ τί οὖν οὐχ ὅλον τοῦ οὐρανοῦ τὸ σῶμα τοιοῦτον; ὅτι ἀνάγκη μένειν τι τοῦ σώματος τοῦ φερομένου κύκλου τὸ ἐπὶ τοῦ μέσου· τοῦτον δὲ οὐδὲν οἶόν τε μένειν μόριον οὐδ' ὅλως οὕτε ἐπὶ τοῦ μέσου. Quaeritur, cur coeli sempiternam circumactionem non sequatur etiam reliquus mundus. Initium responsionis est, in orbis circuitu necesse esse, ut aliquid in medio quiescat et maneat, hoc autem non posse eam naturam, qua coelum constet, i. e. τὸ πέμπτον σῶμα. Etenim quum duo sint ex Aristotelis sententia motus non compositi genera, alterum, quod sit recta, alterum, quod in orbem, quorum alterius sit initium et finis, alterum perpetuitate gaudeat; rectum illum motum terrestribus tribuit elementis, quorum ignis et aer sursum feratur, aqua et terra deorsum; neque quidquam, ex his quod sit constatum, putat in orbem agi, nisi vi quadam cogente atque ipso coactu etiam obterente; necesse igitur esse, ut perfectissimo illo motu quintum quoddam genus utatur, quod ipsum sit perfectissimum, immutabile, aeternum, eamque esse coeli naturam, eo nobiliorem, quo ab his, quae in terra sunt, longius distet, τὸ ἄνω σῶμα, τὸ πέμπτον σῶμα, ἀθέρρα denominatum ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν (cfr. phys. VIII, 7—9. de coel. I, 2. 3. 7—9. Hinc patere arbitror, quo pacto Nicolaus παραφράζειν τὰ ἐνταῦθα λεγόμενα a Simplicio dicatur.

#### Meteorologica.

V. Nicolaus de plant. II, 2. „Praemisimus autem generatones fontium et fluviorum in libro meteororum.“

Cod. Guelph. II „generationem“ et „libro nostro“. Graec. vulg. ἐκτεθήκαμεν δὲ αἰτίας περὶ τῆς γενέσεως τῶν πηγῶν καὶ τῶν ποταμῶν ἐν τῷ ἡμετέρῳ βιβλίῳ τῷ περὶ μετεώρων. Ipse Aristoteles ea de re dixit meteorol. I, 13.

## Historiam animalium

a Nicolao in epitomen redactum fuisse, e Gemaleddino cognovimus. Locorum reliquias, si quae forte apud Arabicos scriptores extant, adhuc nullas inveni.

## De anima.

Dixit Aristot. III, 4, 11 Trend. ἡ τὸ μὲν πάσχειν (scil. τὸν νοῦν) κατὰ κοινόν τι<sup>102</sup> διήρηται (in partitione dictum est) πρότερον (§. 9), ὅτι δυνάμει πῶς ἐστὶ τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχεία οὐδέν, πρὶν ἂν νοῆ. δεῖ δ' οὕτως ὡσπερ ἐν γραμματείῳ ἢ μηθὲν ὑπάρχει ἐντελεχεία γεγραμμένον· ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ. Ad haec Alexander Aphrod. de an. I, 30, f. 138 b. οὐδὲν ἄρα τῶν ὄντων ἐνεργεία ἐστὶν ὁ ὑλικὸς νοῦς ἀλλὰ πάντα δυνάμει. Πρὸ γὰρ τοῦ νοεῖν οὐδὲν ὢν ἐνεργεία, ὅταν νοῆ τι, τὸ νοούμενον γίνεται, εἶγε τὸ νοεῖν αὐτῷ ἐν τῷ τὸ εἶδος ἔχειν τοῦ νοουμένου. ἐπιτηδειότης τις ἄρα μόνον ἐστὶν ὁ ὑλικὸς νοῦς πρὸς τὴν τῶν εἰδῶν ὑποδοχὴν, ζοικῶς πινακίδι ἀγράφῳ, μᾶλλον δὲ τῆς πινακίδος ἀγράφῳ, ἀλλ' οὐ τῆ πινακίδι αὐτῇ. αὐτὸ γὰρ τὸ γραμματεῖον ἦδη τι τῶν ὄντων ἐστίν. διὸ ἡ μὲν ψυχὴ καὶ τὸ ταύτην ἔχον εἶη μᾶλλον κατὰ τὸ γραμματεῖον, τὸ δὲ ἄγραφον ἐν αὐτῇ ὁ νοῦς ὁ ὑλικὸς λεγόμενος, ἡ ἐπιτηδειότης ἡ πρὸς τὸ ἐγγράφηται. ὡς οὖν ἐπὶ τοῦ γραμματεῖον τὸ μὲν γραμματεῖον πάσχει ἂν τι γραφόμενον, ἐν ᾧ ἡ πρὸς τὸ γραφῆται ἐπιτηδειότης, ἡ μέντοι ἐπιτηδειότης αὐτῇ οὐδὲν πάσχει εἰς ἐνέργειαν ἀγομένη, οὐδὲ γὰρ ἐστὶ τι ὑποκείμενον (obiectum, ut nunc dicunt), οὕτως καὶ ὁ νοῦς. Hac Alexandri sententia, τὸν νοῦν esse ἐπιτηδειότητα dicentis, impugnata,

VI. Averroes ad Arist. de an. III, summ. 1, cap. 2, §. 14, t. VII, f. 110 b (VI, 169 a):<sup>103</sup> „Recte videmus“, inquit, „quod Theophrastus et Themistius et Nicolaus et alii antiquorum Peripateticorum magis retinent demonstrationem Aristotelis, et magis conservant verba eius. Cum enim intuerentur sermones Aristotelis et eius verba, nullus potuit ferre ea super ipsam praeparationem (ἐπιτηδειότητα) tantum, neque super rem subiectam praeparationi: si posuerimus ipsam esse virtutem in corpore, dicendo eam esse simplicem et abstractam et non passibilem et non mixtam corpori.“<sup>104</sup>

<sup>102</sup>) I. e. quod menti commune est cum rebus, ad quas intelligendas ipsa ab iis excitatur, sicut sensus ad sentiendum; recte enim, opinor, Themistius f. 88 b. πάσχει γὰρ οὐδὲν, ὃ μὴ κεκοινώρηκεν ἕλης, ἀλλὰ ταύτην δεῖ κοινὴν ὑποκείσθαι καὶ τῷ πάσχοντι καὶ τῷ ποιῶντι. διόπερ οὐδὲ πάσχει τὸ τυχὸν ἐπὶ τοῦ τυχόντος, οἷον ἐπὶ νόμον γραμμῆ, ἀλλ' ὢν ἡ αὐτῇ καὶ ζωῇ ἕλη. Νοῦς ὑπὸ τοῦ νοητοῦ ζυεῖται, ait Arist. metaph. A, 7. Aliter Trendelenburgius p. 483.

<sup>103</sup>) Usus sum editione operum Aristotelis cum Averrois commentatione, quae prodit Venetis a. 1560 tomis XII in 4<sup>o</sup> min. apud Cominum de Tridino Montisferrati. In parenthesi scripsi locos editionis Iuntinae a Meyero indicatos. De philosophi clarissimi, qui a. 1198 obiit, vita et scriptis novissime dixerunt Wuestenf. 191 p. 104 sqq. Wenr. p. 45. 166 sqq.

<sup>104</sup>) Sequitur locus satis memorabilis: „Et, si istud non esset opinio Aristotelis, oporteret opinari eam esse opinionem veram. Sed propter hoc, quod dico, nullus debet dubitare, quin ista sit opinio Aristotelis. Omnes enim hoc opinantes non credunt nisi propter hoc quod dixit Aristoteles; quoniam ita est difficile hoc, adeo quod, si sermo Aristotelis non inveniretur in eo, tunc valde esset difficile cadere super ipsum, aut forte impossibile, nisi inveniretur aliquis talis, ut Aristoteles. Credo enim, quod iste homo fuerit regula in natura, et exemplar, quod natura invenit ad demonstrandum ultimam perfectionem humanam in materiis.“ — Fuit etiam singularis Averrois liber, quo inquirebatur, num intellectus, qui nobis inest, et materialis nominatur, intelligere possit formas a se diversus, necne. Wuestenf. p. 107.

Themistii verba, quoad quidem respexisse h. l. videtur Averroes, haec leguntur f. 88 b. ὥσπερ ἐν γραμματείῳ μηδὲν ἔχοντι γεγραμμένον ἐπιτελεῖται, ὅταν γραφῇ τὰ γράμματα, τελειώσιν ἂν εἰποις τοῦ γραμματείου τὰ γεγραμμένα, οὐ πάθος, ἐπειδὴ πρὸς ἃ γέγονε, ταῦτα ἀπέληγεν, οὕτω συμβαίνει καὶ ἐπὶ τοῦ νοῦ οὐ γὰρ πάσχει τὰ νοητὰ ἐνεργῶν, ἀλλὰ τελειοῦται. Nicolaus autem, quum de his rebus exposuit, iisque quae sequuntur apud Aristotelem, καὶ αὐτὸς δὲ νοητὸς ἐστὶν ὥσπερ τα νοητὰ (dixerat autem §. 10 ἐν δὲ τὸ νοητὸν εἶδει). ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἀνευ ἕλης τὸ αὐτὸ ἐστὶ τὸ νοῦν καὶ τὸ νοούμενον . . . ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ἕλην δυνάμει ἑκαστὸν ἐστὶ τῶν νοητῶν: perspicuum est, quo pacto scripsisse dicatur librum responsionis ad illos, qui rem unam esse statuunt intellectum et intelligibilia. —

VII. Porphyrius de animi facultatibus ap. Stob. ecl. I, p. 842 sq. Heer. Νικόλαος δὲ οὐκ ἤξιον τὰ μέρη τῆς ψυχῆς κατὰ τὸ ποσὸν λαμβάνειν, ἀλλὰ μᾶλλον κατὰ τὸ ποιόν, ὥσπερ καὶ τέχνης καὶ φιλοσοφίας. ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ ποσοῦ τὸ ὅλον ἐκ τῶν μερῶν συμπληροῦνται, καὶ γίνεται ὡς κατὰ τὴν πρὸς ἕτερον ἀντιξέτασιν πλέον ἢ ἕλαττον ἢ μικρότερον ἢ μείζον, προστιθεμένου μέρους ἢ ἀφαιρουμένου. ψυχῆς δὲ οὐκ οὕτως λέγομεν εἶναι μέρος· οὐ γὰρ μέγεθος ἐστὶν, οὔτε τι (Heer., codd. τε) ἔχει πλήθος· ἀλλ' ὡς τέχνης μέρος. διαφέρει δὲ καὶ τούτων· τέχνη μὲν γὰρ ἀπόντος μέρους οὐκ ἂν εἴη ὀλόκληρος, οἱ δὲ τελεία, ψυχὴ δὲ πᾶσα τελεία ἐστὶ, καὶ τὸ (καίτοι?) πᾶν ζῷον οὐ κοιμισάμενον τὸ κατὰ φύσιν τέλος ἀτελές ἐστὶν, ἀκούει τοίνυν Νικόλαος τὰ μέρη τῆς ψυχῆς ὡς δυνάμεις τοῦ ἔχοντος· τὸ γὰρ ζῷον καὶ ὅλος τὸ ἔμψυχον τῷ ψυχῆν ἔχειν πολλὰ δύναται, οἷον ζῆν, αἰσθάνεσθαι, κινεῖσθαι, νοεῖν, δοξέεσθαι, ὦν πάντων αἰτία καὶ ἀρχὴ ἢ ψυχὴ. ταύτας οὖν τὰς δυνάμεις, ἀφ' ὧν λέγεται τὸ ἔμψυχον ταῦτα δοῦν ἢ πάσχειν, μέρη τῆς ψυχῆς τίθε(ν)ται, ὡς εἴρηται.

Aristotelis haec est doctrina pluribus locis exposita, ut de an. I, 5 fin. II, 2. 3. III, 9.

#### Parva naturalia.

VIII. Razes continent. XI, 4. „Nicolaus de philosophia Aristotelis dixit: coitus conterit, et facit celeriter venire ad senium, eo quod desiccat corpus.“

Locum a Fabricio bibl. Gr. XIII p. 348 indicatum debeo Meyero p. XXI. Aristot. de long. et brev. vit. 2 τὰ ὀχνητικὰ καὶ πολὺσπερμα γηράσκει ταχὺ· τὸ γὰρ σπέρμα περὶ τῶμα, καὶ εἶτι ξηραίνει ἀπιόν.

#### Metaphysica.

Metaphysicorum, ut nunc habentur, liber B vocatur ἀπορίαι, totusque est in proponendis quaestionibus difficilibus, quae solvendae sint, antequam ad principiorum considerationem accedatur. Cuius libri quum non sit argumentum quoddam unum et continuum, sed varium et dissipatum, similis est libri A indoles περὶ τῶν ποσάχως λεγομένων, in quo est explicatio vocabulorum, quibus varie utuntur philosophi. De hac re Averroes ad metaphys. lib. III, sum. 1, c. 1, §. 1, t. VIII, f. 58 b (VIII, 18 a): „In scientia naturali vidit, quod melior doctrina est praeponere disputativam perscrutationem in singulis quaestionibus, quando vult facere disputationem super illam quaestionem. In hoc autem libro vult praeponere sermones disputativos in omnibus quaestionibus difficilibus, quae sunt in hac arte: et praeponere sermonem in eis per se. Deinde inducit demonstrationes proprias unicuique quaestioni in loco convenienti tractatum huius scientiae. Et forte iste ordo est melior in doctrina huius scientiae: quia communicant scientiae disputativae in universitate (al. unitate) considerationis. Subiectum enim utriusque scientiae est idem, scilicet ens simpliciter.

Et, quia natura sermonum disputativorum facit, ut praeponatur in ordine sermonibus demonstrativis, vidit Aristoteles, quod iste modus considerationis debet poni pars per se in hac scientia, sicut fecit in nominibus significantibus intentiones huius scientiae, e contrario ei, quod fecit in aliis scientiis, scilicet quod in aliis scientiis exponit nomina apud considerationem in unaquaque quaestione: in hac autem scientia exponit nomina in uno tractatu, non ad distinguendum nomen aequivocum, sed numerando intentiones, de quibus considerat ista scientia.“ His expositis,

IX. Averroes ad Arist. metaph. III, 1, 1, 1, t. VIII p. 59 a. (VIII, 18 a.): „Nicolaus autem“, inquit, „ordinavit sermonem contra illud quod fecit Aristoteles in istis duabus intentionibus, scilicet quod ordinavit ea, secundum quod fecit Aristoteles in scientia naturali, et putavit se incedere per viam meliorem. Et melius est quod Aristoteles fecit propter causam quam diximus.“

X. Averroes ad Arist. metaph. V, 1, 1, 1, t. VIII, p. 130 a. (VIII, 47 d.): „Consideratio igitur de nominibus est de genere considerationis in modis subiecti, in quo considerat ista scientia: et ideo oportet poni per se. Et, cum hoc latuit Nicolaum, videbit (?) quod melior ordo est in hac scientia exponere nomen apud considerationem de intentione illius nominis, non ut ponatur pars istius scientiae per se, sicut latuit illum dispositio et ordo sermonum logicorum in hac scientia, sicut diximus in tractatu tertio.“ —

XI. Averroes ad Arist. metaph. VII, 2, 6, 23. t. VIII, p. 211 a. (VIII, 81 d.) „Et in libro Nicolai et in eius abbreviatione ex hoc libro dicit: „„Et actiones residuae aut erunt ab artificio, aut a potentia. Et pauca generabilia erunt ex se, et casu, quemadmodum in rebus naturalibus est etiam aliquid, quod generatur ex seminibus, et aliquid quod generatur ex non seminibus.““ — — — Deinde invenimus in libro Nicolai sequi: „„Et generabilia ab artificio sunt illa, quorum formae, et quidditates sunt existentes in anima, s. in prima substantia. Et illae formae sunt quodammodo eadem forma. Multoties etiam scimus formam per non esse, et non esse per formam: quoniam non existunt insimul, ut sanitas et infirmitas, sed corruptio alterius est generatio reliqui. Et sanitas dicitur duobus modis; dicitur enim de forma, quae est in anima, et de habitu, qui est in corpore. Et ambo sunt idem: sed sanitas secundo modo invenitur ab ea, quae est secundum primum modum. Et, cum ita sit, est post istam, aut ista est sanitas.““

Haec respondent iis, quae leguntur apud Aristotelem metaph. Z, 7, inde a verbis *αὶ δ' ἄλλαι γενέσεις*. Prior pars verborum Nicolai inservit ap. Av. declarandae sermonis continuitati apud Aristotelem; alteram etiam pluribus persequitur, quibus repetendis nunc supersedemus. —

XII. Averroes ad Aristot. metaphys. XII, proem., t. VIII, p. 314 b. (VIII, 135 d.): „Ex his igitur dictis patet, quidnam contineat unusquisque liber huius scientiae ex libris, qui Aristoteli ascribuntur: et quod procedunt ordine peroptimo, et quod nihil in eis contingit praeter ordinem, quemadmodum invenimus Nicolaum Damascenum esse opinatum in libro suo, propterea quod ipse declaravit, ut opinatus est, hanc scientiam debere doceri praestantiori ordine.“<sup>105)</sup>

<sup>105)</sup> Haec est Iacobi Mantini interpretatio; altera legitur Pauli Israelitae p. 312 b. (136 c.): „Ex his denique quicquid omnes huius Aristotelis scientiae dictiones complectuntur ad nutum intueri licet: quodque nihil in eis

XIII. Averroes ad Arist. metaph. XII, 2, 4, 44, t. VIII, p. 344 b. (VIII, 154 b.): „Et ideo videmus, quod scientia magis propria primi Dei (.) scilicet est illud, quod continetur sub prima philosophia: et scientia propria propriis, quae sunt sub eo, est similis scientiis particularibus, quae sunt sub prima philosophia, sicut dicit Nicolaus Peripateticus in sua prima philosophia. Et ideo videmus, quod per acquisitionem istius scientiae ab homine invenitur homo in sua perfectione essendi.“

Observata haec sunt ad locum met. A, 8 *ὅτι μὲν οὖν εἰσὶν οὐσίαι κτλ.* De primae philosophiae, quam hodie metaphysicam appellant, ratione et praestantia cfr. metaph. Γ, I. E, I. K, 7. eth. Nicom. X, 7. al.

XIV. Scholion Theophrasti metaphysicis subscriptum: *Τοῦτο τὸ βιβλίον Ἀνδρόνικος μὲν καὶ Ἐρμιππος ἀγνοοῦσιν· οὐδὲ γὰρ μυεῖαν αὐτοῦ ἔλωσ πεποιήνται ἐν τῇ ἀναγραφῇ τῶν Θεοφράστου βιβλίων. Νικόλαος δὲ ἐν τῇ Φεωρίᾳ τῶν Ἀριστοτέλους μετὰ τὰ φυσικὰ μνημονεύει αὐτοῦ λέγων εἶναι Θεοφράστου.*

De Andronico Rhodio in digerendis Aristotelis libris versato res est vulgo nota. De Hermippo hinc corrigenda sunt, quae scripsit Adalb. Łozyński, Hermipp. fragm. p. 37. 39.

#### E t h i c a.

XV. Simplicius ad Epictet. enchirid. c. 37: *παιδεύσας τοίνυν τὸν ἀκροατὴν διὰ τῶν προτέρων παραγγεμάτων καὶ αὐτῶν περὶ τὰ καθήκοντα γινόμενων, ἐντεῦθεν, λοιπὸν αὐτῷ, τὴν τέχνην τὴν περὶ τὰ καθήκοντα παραδίδωσι, πῶς ἔστιν εὐρίσκειν τε αὐτὰ καὶ ἐργάζεσθαι. καὶ ἅπερ ἄλλοι διὰ πολυσύχων πραγμασιῶν συντάξαν, οἱ μὲν περὶ τῶν ἐν τοῖς πρακτικοῖς καλῶν, ὥσπερ Νικόλαος ὁ Λαμασκηγός,\* ταῦτα οὕτως ἐν ὀλίγοις σίχιοις μετὰ δραστηκῆς ἐμφάσεως καὶ ἐνεργείας κινούσης τὰς ψυχὰς παραδίδωκεν.*

Notum est, Aristotelem virtutem *μεσότητα* dicere; *αἱ δὲ κατ' ἀρετὴν πράξεις καλαὶ καὶ τοῦ καλοῦ ἕνεκα*, inquit eth. Nicom. IV, I, 12.

Denique incertum an huc pertineat locus

XVI. Diogenis Laertii X, 3: *Λιότιμος δὲ ὁ στωικός ὄντων ἔχων πρὸς αὐτὸν (Epicurum) πικρότατα αὐτὸν διαβέβληκεν, ἐπιστολὰς γέρον πεντήκοντα ἀσελεγῆς ὡς Ἐπικούρου, καὶ (ὁ) τὰ εἰς Χρυσίππον ἀναγερόμενα ἐπιστόλια ὡς Ἐπικούρου συντάξας A. ἀλλὰ καὶ οἱ περὶ Ποσειδώνιον τὸν στωικὸν καὶ Νικόλαος καὶ Σωτῶν ἐν τοῖς δώδεκα τῶν ἐπιγραφομένων Λοκλείων ἐλέγχων, ἃ ἔστι περὶ τῆς κδ, καὶ Λιονύσιος ὁ Ἀλικαρνασσεύς.*

Sequitur usque ad §. 9. nubes conviciorum, quorum quae quisque in Epicuri caput congresserit, quum parum liqueat, omisimus omnia, quamquam plurima videntur petita e Diotimi epistolis, de quibus vid. Luzac. lectt. Att. p. 153 sq. Sotionis libri corruptum elogium <sup>106)</sup> nonnulli male etiam ad Nicolaum retulerunt.

inordinatum repertum est, ut falso opinatus est Nicolaus Damascenus, qui se exactius hanc tradidisse scientiam, quam Aristoteles, in quodam suo volumine praesumpsit<sup>106)</sup>

<sup>106)</sup> Pro *κδ* probabiliter coniecit *εκάδος* novissimus editor Lipsiensis. Sotion ille inter Nicolaum et Dionysium collocatus non videtur esse ille, qui sub regno Ptolemaei Epiphaniis successiones philosophorum scripsit, ut



Haec mihi eorum, quos de philosophia scripsit Nicolaus, *ἑλληνικῆς*, ut ipse ait, *Ἀριστοτέλους γενόμενος καὶ τὸ ποιικίλον τῆς περὶ τὸν ἄνδρα παιδείας ἀγαπήσας*, oblatae sunt librorum reliquiae, plures eae quidem, quam indicatas a quoquam uno inveni, sed quibus non dubito, quin etiam plures aliquis a libris et a lectione instructor invenire possit. Sed librum, qui inter Aristotelia habetur de mundo, quamquam minus recte Nicolai esse putavit Victorius var. lectt. XXV, 13, deceptus fortasse Simplicii verbis, quae nos integra tertio loco posuimus, e Latinitate olim non sine detrimento reversis; illud tamen dispiciendum, quae via a Meyero in libris de plantis munita est, ea num forte ducere possit ad coniecturam de iis quoque libellis capiendam, qui minus vere Aristotelis nomen prae se ferre videantur.

### III. De aetate Dorothei Sidonii.

Dorothei mathematici, scientiae sphaericae et iudiciorum astrologicorum peritia insignis, cuius libros hoc in genere doctis notos esse de nativitatibus et de circulis Abulpharagius scribit (v. p. 27), memoriam satis frequentarunt mediae aetatis scriptores tam Graeci quam Arabici, qua in gente fere unus hic poeta Graecus lectus fuit. Nam, ut Gemaleddinum omittam et Mohammedem Annadinum, a quibus hic quoque in virorum doctorum catalogos receptus est, Omarus, Alpharganii filius, philosophus idemque astrologus saec. IX clarus, quem etiam omnia Dorothei scripta interpretatum tradunt, in libris, quos tres de nativitatibus conscripsit, quaterdecies eius mentionem iniecisse reperitur;<sup>107)</sup> Zahel, illi fere aequalis, in libro de electionibus sexies;<sup>108)</sup> Albohazen Haly filius Abenragel, qui saec. XIII inter astrologos Alphonsi, Castilliae regis, floruisse dicitur, in libris de iudiciis astrorum duodesexagies.<sup>109)</sup> Vergente saeculo XII

Ionsius putabat script. hist. philos. II, 10, 1; sed ille quem sub Augusto consignavit Eusebius et in magistris habuit Seneca, ep. 49. 108. Sed de Sotionibus alias dicitur. 107) I, p. 119. 120. 121 (quinquies). 122. 123. 124. III p. 131. 132. 134. 135; ex interpretatione Latina, quam una cum Firmici et aliorum astrologicis edidit Nicol. Prucknerus Basileae a. 1533. De Omaro vid. Gemaledd. ap. Cas. I, p. 362; cfr. Fluegel. p. 36. Wenr. p. 293. 108) P. 104 (bis). 105. 109. 110. 112; ex eadem Pruckneri editione. De scriptore vid. Casir. I, p. 360. 439. 109) I, 5, p. 16 a. b. 17 b. 18 a. 6, p. 20 a. 9, p. 23 a. 11, p. 25 b. 43, p. 40 b. 44, p. 41 a. 46, p. 42 a. II, 2, p. 51 b. 52 a. 53 b. 33. p. 74 a. 34, p. 84 a. 45, p. 104 a. III, 17, p. 120 a. 22, p. 130 b. IV, 3, p. 148 b. (ter). 4, p. 148 b. 7, p. 160 b. 14, p. 189 b. VII, proem., p. 289 b. 3, p. 303 b. 304 a. 55, p. 321 a. 100, p. 341 a. 101. p. 342 b — 346 b (undetricies). 102, p. 347 a; ex editione Antonii Stupae, Basileae a. 1551. De aetate hominis vulgatae attulimus sententiam, quae fortasse est falsa et ex illis verbis nata, quae in exordio interpretationis Latinae leguntur: „Hic est liber magnus et completus, quem Haly Abenragel filius, summus Astrologus composuit de iudiciis astrorum: quem Yhuda filius Muscae ex praecepto domini Alphonsi Romanorum et Castellae (Dei gratia) Regis illustris transtulit de Arabico in maternum, videlicet Hispanicum idioma; et quem Aegydius de Tebaldis Parmensis, aulae imperialis notarius una cum Petro de Regio ipsius aulae protonotario transtulit in Latinum.“ Quibus sunt similia, quae de Albohazeni libro de stellarum fixarum motu et locis inde a Zagutho Riccius, Ricciolus, Weidlerus, Baillius, Montucla uno ore retulerunt. Vossius de scient. math. p. 178 anno 1202 floruisse scripsit, citato Lucae Gaurici calendario ecclesiastico p. 16 ed. Venet. a. 1552 (p. 647 ed.

vixit Ioannes Tzetzes grammaticus, qui praeter alia plurima scripsit exegesis in Homeri Iliadem, primum editam illam a God. Hermanno cum Draconis de metris libro Lips. a. 1812, deinde cum schollis Homericis Lipsiensibus a Lud. Bachmanno Lips. a. 1835. In ea p. 33 H. (765 B.), quum astra deos dici quum aliis tum Ammonis nescio cuius mathematici et Orphei i. e. Maximi versibus probatum fisset, *ἔτι δὲ Ἀωρόθεός τε*, inquit, *καὶ Ἀννουβίων καὶ Κολόκυνθος καὶ πᾶς μαθηματικὸς ἀπλῶς εἰπεῖν καὶ φυσικὸς καὶ πᾶς ἀρχαῖος ποιητὴς τὸν περὶ θεῶν λόγον οὕτως ἐκλαμβάνεται*. Idem p. 54 H. (778 B.): *οὐ μόνον δὲ οὗτοι* (Homerus, Tryphiodorus, Lycophron, Aeschylus, Euripides, Menander, Sophocles, Plato, Eumolpus, Orpheus, Empedocles allegorice usi sunt nominibus deorum), *ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ ποιηταί· ἔτι δὲ οἱ μαθηματικοὶ Ἄμμων καὶ Τίμαιος, Πτολεμαῖος, Παῦλος, Ἐκτόριος, Ἀννουβίων, Κολόκυνθος, Πρωταγόρας, Νικήρατος, Ἀωρόθεός τε, καὶ λοιποὶ, ὧν τὰ ὀνόματα καὶ τὰς χρήσεις ἐπέφερον ἄν, εἰ μὴ φορητὸς τε καὶ ἀλάζων καὶ μακρὸς τισὶν ἔμελλον ἀποφαίνεσθαι, καίπερ, νῆ τὴν Ἀδράστειαν δίκην τὴν τοῦ Θεοῦ, ἀπὸ σσηθοῦς ταῦτα λαλῶν, καὶ οὐκ ἀπὸ βιβλίων.*<sup>110)</sup> Homo ineptus

Basil. a. 1575). Cui non facile debet fidem habere, quippe qui paullo post a. 1235 floruisse scripserit Alchindum, quem et Halio saepissime citavit et saec. IX floruisse satis constat. Quare fortasse verior est eorum sententia, qui hunc Halium Abenragelem anno 956, die 12 Febr., natum dixerunt, ut est ap. Ricciol. chron. astron. p. XXXV (Almag. nov. t. I.), vel anno hegirae 356 (qui incepit d. 16 Dec. 966), ut ap. Voss. p. 449. Neque hac quidem aetate recentior astrologus ab Halio citari videtur. Verum haec optime dirimuntur a Ferd. Wuestenfeldio, si quando, ut de medicis et physicis, ita etiam de mathematicis et astrologis Arabum scripserit, eaque aliunde supplerit, quae e Gemaleddini copiis Casirius congressit. — Sed quod Scaliger dixit ad Manil. I, 19 „Dorotheus Sidonius, quem legerunt Arabes, Omar, Messaalla, auctor Alcabitij“, et similiter Vossius de hist. Gr. p. 436 Western.; Alcabitij, quem pariter ad Alphonsi tempora referunt, isagogen astrologiam nondum potui excutere, nec magis Messaallae Iudaei saec. IX florentis (Gemaledd. ap. Cas. I, p. 434. Abulphar. p. 161. Salmas. de ann. climact. p. 309) aliud quidquam praeter dissertationem de ratione circuli et stellarum et qualiter in hoc saeculo operentur s. de coniunctionibus planetarum ap. Prucknerum p. 115—118. Interim dubitavi, an hos duos illi dixerint pro Zabele et Albohazeno.

<sup>110)</sup> Hic quidem inflavit de mathematicis homo ventosus etiam vehementius, quam de paradoxographis chil. VII, 642 sqq., vel de mechanicis in allegor. Iliad. ap. Cramer. Anecd. Gr. Ox. t. III, p. 381. Ad singulos quod attinet, Ammonis versus quosdam iam supra citavit p. 33 H. (765 B.); Timaeum dicere videtur Locrum; Ptolemaei *μαθηματικὴ τετραβιβλος σύνταξις* et Pauli *εἰσαγωγή εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν* hodie supersunt. Hectorium eundem dicere videtur, qui alias Rhetorius vocatur, cuius de duodecim signis et aliis quibusdam excerpta ex Antiochi (al. Anascholi) thesauris adhuc inedita in bibliothecis extant, vid. Labbe. p. 121. 278. Montfaucon. bibl. bibl. p. 553 n. 137. p. 590 n. 173. p. 736 n. 2736. p. 1324 n. 163. Nessel. t. IV, c. 15 et quos citavit Harlesius ad Fabr. bibl. Gr. t. IV, p. 161. Anubionem Anubium dixit Firmicus math. III, 1: „Mundi itaque genituram hanc esse voluerant, secuti Aesculapium et Anubium, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiae secreta commisit;“ unde fortasse in altero loco IV, praef.: „Omnia enim, quae Aesculapio Mercurius Enichnusque tradiderunt, quae Petosiris explicavit et Necepso, quae Abraham, Orpheus et Critodemus ediderunt, caeterique omnes huius artis antiscii“ (lege „antistites“), etc. Enichnus mutandus in Anubium. (Aesculapii myriogenesis s. moerogenesis laudat Firmic. III, 1. De Asclepio s. Ascleterione astrologo vid. Chron. Pasch. p. 250 d. Sueton. Domit. 15; fortasse idem ap. Io. Lydum de ostent. 2 Asclation; quo nomine medicum citat Erotianus v. *ἄμβων*.) Vixit autem Anubion astrologus saeculo primo p. Ch., quippe quem auctor Recognitionum S. Clementis Romani X, 52 sqq. cum Apione Plistonice apud Simonem magum deversantem et cum Petro apostolo colloquentem faciat. In bibliothecae Venetae D. Marci codice 134 est syntagma astrologicum capp. 74 ex

in suam ipse exegesis scholia scripsit, in quibus p. 128 H. (827 B.), καὶ δὴ τὰ περὶ τοὺς κομήτας, inquit, καὶ τὰ τούτων ἀποτελέσματα κατὰ τὸ Ὅμηρον καὶ Ἀωρόθεον τὸν μαθηματικὸν καὶ Ἀνώνημον μάνθανε: paullo post p. 129 H. (827 B.): Ἀωρόθεος δὲ τῆς Ὀμηρικῆς ὥσπερ ὀλόγητος (attulerat Iliad. A, 75. 76.) ἀποσπᾶδα φησὶ στόλων ἀπωλείας λέγων σημ [εἶον] (sc. τοὺς κομήτας)· φησὶ δὲ οὕτως·

πολλὰ δὲ ναυμαχίησιν ἐνὶ σκάφῃ ἔξαπολεῖται.

Ante saeculum tempore Alexii Comneni scriptae sunt undequadragesima epistolae sophisticis lenocinifis fucatissimae, quas sine nomine edidit Cramerus Anecd. Graec. Oxon. t. III, p. 158—208. In his etiam patriam Dorothei cognoscimus. Ep. 6, p. 167: ἀλλ' ἀπό γε τῆς θανασίας ἐπιστολῆς ἐξός μοι ἐπέσις καὶ μαρμαρόσσεις ἀπρόσιτα καὶ ἀπαστρέπτεις ὡς ἑαρινὸς ἥλιος, οἷον κατελιγηὸς αὐτὸ τοῦ οὐρανοῦ τὸ μεσαίτατον, τὸ τοῦ παντὸς ἔρεισμα, εἶπεν ἂν ὁ Σιδωνόθευς Ἀωρόθεος: ep. 19, p. 185: πολλοῦ δέω πιστεῦσαι Μανέθωνί τε καὶ Ἀωροθέῳ καὶ Κολοκύνθῳ καὶ τῶ πάντων μάλιστα τὰ τοιαῦτα ἠκριβοκότῃ Κλανδίῳ τῷ Πτολεμαίῳ, ταῖς ἐκείνων γενεθλιαλογουμέναις βίβλοις τὰ ἡμέτερα ταλαντεύουσιν: et paullo post: παραιοῦμενος τὰ τε τοῦ Μανέθωνος καὶ Ἀωροθέου τοῦ Σιδωνίου. Commemoratur Dorotheus etiam ab Anonymo, qui tetrabiblon Ptolemaei enarravit; velut p. 140 (ad III, 17): οὕτω καὶ παρὰ τῷ Ἀωροθέῳ ἔχεις εἰρημένον ἐπικράμπτια λυγρὰ, praeterea p. 48 et p. 110. Qui quis fuerit, iam Tzetzes ignoravit; nam ut hodie ἐξηγητὴς ἀνόνημος inscribitur, ita quam ille ait exeg. Iliad. p. 5 H. (747 B.) τῆν τοῦ μαθηματικοῦ Ἀνώνημον ἐξήγησιν, quaeque schol. exeg. Iliad. p. 129 H. (827 B.) ὁ ὀνομαστίσιτος ἐν τοῖς μαθηματικοῖς ὄντως Ἀνώνημος λεπτολογημένος καὶ κατατηγῆδην de cometis dixisse traditur, non sunt alia, quam quae leguntur in enarrat. Ptolem. tetrab. p. 75. Videtur Eutocius esse, quem in librum primum Quadripartiti commentarios scripsisse docet Gemaleddinus ap. Casir. I, p. 349 et 383.

Sed cum his omnibus ut stare possit Abulpharagii auctoritas ad Iuliani tempora Dorotheum referentis, nonnihil iam vacillare incipiet allato Iulii Firmici Materni loco, qui math. II, 32 haec scripsit: „Antiscia<sup>111</sup>) Graecorum sunt nobis magisterio tradita: nolo enim aliquis suspicetur, quod non sit apud Graecos iste tractatus: nam si (?) Ptolemaeus nullam aliam rationem sequitur nisi antisciorum, et Antiochus, cum dicit, quod Libra Arietem propter terram, quae media est, non videat, quasi per speculum quidem antisciorum rationem attingit. Dorotheus vero Sidonius vir prudentissimus, qui apotelesmata verissimis et disertissimis versibus scripsit, antisciorum rationem manifestis sententiis explicavit, libro scilicet quarto.“ Firmicus enim matheseos li-

Dorotheo, Orpheo, Valente, Ptolemaeo, Hephaestione, Anubio s. Anubione et Manethone; ex quo fortasse descripti sunt duodecim illi versus elegiaci περὶ μοίρας ὠροσκοπούσης, quos in annexis Anthologiae Graecae editionis Florentinae exemplo foliis nescio cuius manu exaratos edidit Io. Iriartes reg. biblioth. Matrit. codd. Gr. I, p. 247; quorum octo priores iam a Salmasio vulgati fuerant, exercitatt. Pliniann. p. 635 (ed. Paris a. 1629), v. 7 et 8 ab eodem de ann. climacter. p. 602, v. 10 ibid. p. 87. Colocynthus praeter Tzetzen commemoratur ab anonymo saec. XII epistolographo ap. Cramer. anecd. Gr. Ox. t. III, p. 185, ceteroqui plane incognitus, ut suspicer nomen esse Graecum factum ex Arabico Alchindi. De Protagora astrologo, in quem epicidium scripsisse Euphoriemem tradit Diogenes Laertius IX, 51, Tzetzae locus Meinekium fugit. Niceratus mihi est plane ignotus.

111) Antiscia sunt, quae a quattuor punctis cardinalibus orbis signiferi aequaliter distant, vid. Scaliger ad Manil. II. 468. Fabric. bibl. Lat. III, p. 118 sq. Ern. Firmicus Geminos in Cancrum ait antiscium mittere, Capricornum in Saggiarium etc.

brum primum, excepto prooemio, quod fere usque ad verba: „In vestibulo itaque orationis atque in ipsis principiorum primordiis constituti,“ pertinens pertexto iam operi atque absoluto praefixum videtur, vivente etiam tum atque imperante Constantino M. inter annum 334 et 337 p. Ch., reliquos septem inter annum 342 et 354 conscripsit; id quod dicimus argumentis diligenter expensis. Qui si aequalem habuisset Dorotheum, aliquo certe modo indicasset; et ita locutus est, ut probatissimos nominare auctores non eosdem recentissimos voluisse videatur. Nec improbable est, temporum hic aliquem ordinem sequi Firmicum et afferre Ptolemaeo antiquiores. Etenim est Plinii locus hist. nat. XXXV, 17: „Talemque“ (i. e. cretatis pedibus venalem) „Publium mimicae sectae conditorem et astrologiae consobrinum eius Manlium Antiochum, item grammaticae Staberium Erotem eadem nave advectos videre proavi.“ Hunc Plinianum Antiochum<sup>112</sup>) si cum Firmiciano ita componere licet, ut pro eodem habeatur, ordo, quem in nominandis auctoribus Firmicus secutus est, facile eo valere videbitur, ut trium fuisse antiquissimum Dorotheum et floruisse etiam ante Sullana tempora existimemus. Quae autem Firmicus II, prooem. verba fecit: „Antiscia Hipparchi secutus est Fronto, quae nullam vim habent nullanque substantiam, et sunt quidem in Frontone pro-

<sup>112</sup>) Fr. Iacobus in commentationis, quam de M. Manilio poeta scripsit, particula priori, edita Lubecae a. 1832, p. 3 hunc ait bello Punico tertio ex Africa Romam delatum, non magis, credo, codicum inductus fallacis, in quibus poema astrologicum Manilianum esse perhibetur nescio cuius M. Malli Boeni vel M. Malli Antiochi Boemi i. e. nonnullorum opinione Poeni, quam rationibus Harduini, qui, quod idem Plinius XXXVI, 5 a nepote ad proavum fere sexaginta olympiadas numeret, negavit Publium esse celeberrimum Syrum mimographum, quem Plinii non proavi, sed pater sub Augusto videre potuerit, et omnium illorum aetatem in tempus fere devictae Carthagini incidere ante annos circiter 220, quam haec Plinius scriberet. Verum etiamsi largiamur, dicere id Plinium, quod ex altero eius loco Harduinus collegit, de quo propter loci obscuritatem dubitari certe potest, non id quoque sequetur, proavos quum diceret, nepotum in loco Plinium sese habuisse. Deinde non est plane verum, ut Publium Syrum pater Plinii sub Augusto videre potuerit; videre enim res memorabiles, nisi de aetate moneatur, non dicuntur pueruli, sed adulti et qui existimare de visis possunt. Plinius autem, quum interierit anno u. c. 832, aetatis 56 (Plin. epist. III, 5. VI, 16. Anonym. vit. Plin.), natus est post Augusti a. u. 691 nati decessum anno 10, paterque, qui, si probabilitatem sequimur, Augusto annum 76 agente adolescentulus fuit, Publium Syrum, qui fere 60 annis ante floruit, non videtur vidisse nisi puerulus admodum senem. Ante enim quam peradolescens patris hereditatem Octavianus adiret, C. Iulio Caesare efferatos bellis civilibus populi animos ludis publicis mitigante, Publius Syrus, quum iam antea mimos suos ingenti applausu in Italiae oppidis agere coepisset, Romae quum reliquos, qui secum contenderent, tum D. Laberium superavit; vid. Macrob. sat. II, 7. cfr. Gell. XVII, 14. Hieronym. in Euseb. chron. ol. 184, 2. Sueton. Caes. 39. Senec. contr. III, 18. Quod anno u. c. 709 evenisse putat Clintonus fast. Hellen. III, p. 213, cui assentior propter locum Ciceronis ad fam. XII, 18. Qui igitur aetate virili floruit ante annos fere 67, quam nasceretur Plinius, eum puerum Romam advectum (Macrob. l. l.) in catasta Plinii existimandi sunt vidisse proavi. Videtur autem Romam venisse cum consobriino Antiocho et Erote ante proscriptionem Sullanam; Staberium Erotem enim Suetonius de ill. gramm. c. 13 tradit de catasta emptum et propter litterarum studium manu missum non solum docuisse inter ceteros Brutum (natum a. u. c. 669) et Cassium, sed etiam fuisse qui temporibus Sullanis proscriptorum liberos gratis et sine ulla mercede in disciplinam recepisse traderent. De aetate igitur Manlii Antiochi non est quod dubitemus; patria citius dixerim Syrum vel Phoenicem, quam Poenum. Neque vero premendum conditoris vocabulum; fuerunt enim Romae mimographi ante Publium, grammatici ante Staberium; videtur quidem aliquid in sua quisque arte novasse, quod quale fuerit, in Publio assequi coniectura, in reliquis ne divinare quidem possumus. — Illa vero alia quaestio est, idemne sit Antiochus astrologus, qui in Arabum commentariis laudatur, cuiusque *θησαυροὶ* inediti in bibliothecis habentur. *Καλανδολόγιον*, quod ei tribuitur, redolet saecula Byzantina.

nunciationis atque apotelesmatum verae sententiae, antisciorum vero inefficax studium, quod quidem secutus est, quia rationem veram non fuerat assecutus; antiscia enim illa vera sunt, sicut et Navigius (i. e. Nigidius, si verum vidit Fabricius bibl. Lat. III, p. 119 Ern.) „noster probat, quae Ptolemaeus posterior vera definitionis inquisitione monstravit“: ea igitur verba si ita intelligi atque cum iis, quae ante protulimus, comparari possunt, ut melius quam Hipparchus, cuius novissimae observationes incidunt in annum 127 a. Ch. (Clinton. fast. Hell. III, p. 119 sq.), antisciorum rationem perspexisse et exposuisse Dorotheus videatur; aetas huius etiam ab altera parte satis definita habebitur. Ac sane huc poetae, cuius in versuum, quae adhuc supersunt, reliquiis profecto laudata illa a Firmico vera ac diserta rerum expositio magis quam oratio poeticis sententiis illustrata et dicendi luminibus ornata agnoscitur, huic, inquam, vix alium similiorem dixeris, quam eodem saeculo viventem poetam cosmographum Alexandrum Ephesium cognomine Lychnum, cuius de ingenio bene iudicavit Naekius sched. crit. p. 7 sqq. (opusc. I, p. 12 sqq.); cfr. Meinekii Analect. Alexandrin. p. 371 sqq. Ne dicam esse, quo praecunte vere de antiscio existimasse Nigidius videri possit.

